# COLLOQUIA PLAUTINA VIGINTI,

EX

Totidem *M. Plauti* Comœdiis excerpta, & Annotatiunculis marginalibus illuſtrata:

In quibus omnes Plautinæ elegantiæ in compendium contractæ ſunt, & uſibus noſtris accommodatæ.

---

Opuſculum ſcholis, & linguæ Latinæ ſtudioſis, ad intelligendum *Plautum, Lucretium, Perſium, Apuleium,* alióſq; obſcuriores AUTHORES utile & jucundum.

---

Operâ ALEXANDRI ROSSÆI.

---

*LONDINI,*

Typis, & impenſis *Jacobi Junii,* Anno Domini, M. DC. XLVI.

ST. AS...

PLauti *Elegantias, doctiſſimi* ROSSÆI *operâ in Colloquia diſpoſitas, Scholarum ad uſum futuras cenſeo apprimè neceſſarias.*

JO. LANGLEY.

Septemb. 15to.
1645.

# Viro doctiſsimo, clariſſimóque Poetæ, Domno. ALEXAND. ROSSÆO.

HEroum *Maxime, Caledoniæ* Maro;
*Seris optande ſeculis, uterq; Artium*
*Tropicus, Roſa, Roſella mea: Ros equidem*
*Cœlo demiſſus; roſcide popellum nectare*
*Adimplens, unico digna* Phœbo *ſerta*
*Hujuſce ROSÆ: non Autumnus, nec acrior*
*Hyemis rabies hanc poſsit reddere marcidam.*
*Necquicquam vermis theonini ſeculi*
*Radices ROSÆ corrodit actas altiùs;*
*Necquicquam ferit tumultuantis ævi*
*ROSAM lauriferam lingua fulminigera.*
*Laurus amica* Jövi *eſt, &* Phœbo *ROSA;*
*Suoq;* Jonæ *decus, & amicitia.*
*Intra te ſtetit omne fortunæ genus,*
*Adversâ infractus, nec elatus ſecundâ.*
*Tu rutilo repentè exoriris orbe* Phœbus,
*Minorem fugiens ignium gregem; tuq;*
*Serenum, ſparſis nubeculis, ſpondes diem.*

JOHANNES JONES:

## Nobiliſsimo viro Domino *Guilielmo Balforio*, Equiti Aurato.

Hunc meum *Plautulum* (cujus ſermone loquerentur *Muſæ*, ſi latinè loqui vellent) ſub Nominis tui auſpiciis, Vir, non minùs literariâ quàm militari gloriâ inſignis, in publicum prodire placuit; ut teſſeram meæ erga te obſervantiæ, & teſtimonium, virtutibus tuis dignum, poſteritati tranſmitterem: tu enim ex eorum numero es, qui

—*Ge-*



—*Geticum modereris*
*Apolline Martem*;

exemplum præſtantiſsimorum ducum ſequutus, qui in eadem ara *Minervam* cum *Gradivo* venerati ſunt, & *Muſas* inter media arma coluerunt. Utinam omnes tui ordinis & claſsis homines horum exempla ob oculos ſibi proponi permitterent; æquabiliùs, atque conſtantiùs ſeſè res humanæ haberent. Sícque non minùs virtute animi, quàm vi corporis res militaris procederet; ſi unuſquiſque belli dux, cum *Ænea*, (cujus tu hiſtoriam optimè nôſti, quando præſtantiſsimum Poetam ad amuſsim calleas) foret

—*pietate inſignis & armis.*

Sed

*Epiſtola Dedicatoria.*

Sed me ab hoc alloquio epiſtolari negotia avocant aliò, quare te valere & perennare jubeo, hócque munuſculum eodem accipere

*Vultu, quo cœlum tempeſtateſq́;*
*ſerenat*
*Jupiter.* ——

Amplitud. tuæ deditiſſimus,

ALEX. ROSSÆUS.

# COLLOQUIORUM SINGULORUM SUMMA.

IN Imo. Colloquio oſtenduntur ſervorum quorundam petulantia, ebrietas, & ſupplicia. Belli civilis cauſæ, & incommoda. Quorundam militum mores taxantur.

II. Servorum nonnullorum veſtitus, & miſera conditio deſcribuntur. Dominorum tyrannis & iniquitas, & quorundam ſenum perditi mores.

III. Conjugatorum, & divitum quorundam miſera conditio. Uxorum nonnullarum ſuperbia, inſana profuſio, & impudici mores reprehenduntur Quorundam militum rapacitas inſinuatur. Quomodo uxores indomitæ cicurentur.

IV. Perſtringuntur illi qui gulæ, ebrietati, & parcimoniæ nimiùm deditì ſunt; oſtenditúrque quam pernicioſæ ſint Reipublicæ peſtes Paraſiti, & otioſi ventres.

V. Humanæ vitæ incerta conditio oſtenditur. Ebrietates, ſcortationes, aliique mali mores juventutis hodiernæ caſtigantur. Lenones, peſsimum genus hominum, taxantur.

VI. Maritorum quorundam inhumanitas & ſævitia erga uxores, uxorúmque effrænis lingua, profuſio, ſuperbia, & impudicitia depinguntur. Conjugatorum officia oſtenduntur.

VII. Doloris impatientia ex amici morte deſcribitur: & conſolationes in ferenda amicorum morte proponuntur.

VIII. Quàm miſeri ſint obærati, & mariti illi qui prodigas & luxurioſas habent uxores oſtenditur. Variæ artes diteſcendi. Amatores & meretrices urbe ejiciendi.

IX. Perditorum juvenum mali mores reprehenduntur. Adoleſcentibus & ſtudioſis ſana conſilia traduntur. Meretricii amores quàm pernicioſi ſint oſtenditur.

X. Scelerati mores militum, & monachorum quorundam deſcribuntur & conferuntur. Ambo prædones, ſed diverſo modo.

XI. Pa-

XI. Parentes & pædagogi qui adoleſcentes indulgentiâ, & malo exemplo corrumpunt; ſic adoleſcentes, qui monita pædagogica, & ſalubria ſeniorum conſilia reſpuunt, reprehenduntur.

XII. Humanæ vitæ miſeriæ & vitia deflentur. Omnia hominum genera taxantur. In ſumma fortuna, maxima infortunia.

XIII. Admonentur juvenes ut malum conſortium fugiant, & ut bonarum literarum ſtudiis, ſed moderatè incumbant.

XIV. Impiorum divitum miſera conditio deſcribitur, & piorum pauperum fœlicitas. Præpoſteri malorum hominum mores, & nonnihil de peregrinationis incommodis.

XV. Quot vitiis magnæ urbes abundent, & quàm periculoſum ſit adoleſcentibus in talibus verſari oſtenditur. Meretricum mores, & juvenum in *Venerem* impotentia.

XVI. Monita quædam pædagogica in menſa pueris dantur.

XVII. Navigationis commoda & incommoda recenſentur. Piſcatura utilis. Ebrietat ſeffecta.

XVIII. Utra dominorum an ſervorum conditio ſit potior oſtenditur.

XIX. Avaritia perſtringitur. Malæ uxoris mores. Conjugatis dantur ſalubria monita.

XX. Quàm miſeri ſint per omnem vitam qui literas ſpernunt, & juventutis tempus in otio & luxuria tranſigunt, oſtenditur. Meretrices iterum, & molles taxantur.

---

---

COLLOQUIA



# COLLOQUIA PLAUTINA.

## Ex AMPHITRYONE.

### COL. I.

*Soſia. Davus.*

UNde nobis prodis, *Dave*, claudicans, acſi lumbifragium fuiſſes paſſus? Videris mihi totus quaſi muræna exoſſatus. DAVUS. Certè ex carcere prodeo, in quem, heri mei juſſu, tres viri, giganteis viribus præditi, compegerant; iidémque, tanquam ex promptuaria cella, ad flagrum depromſerunt, utque incudem ceciderunt;

*——ferrum*

*Non adeò exercent vaſto Cyclopes in antro,*

A *Bronteſq́;*

*Bronteſq; , Steropeſq; , & nudus*
*membra Pyracmon.*

So. Primâ facie vix te cognoſcebam,
adeò os tibi exoſſatum eſt, & velut de no-
vo fictum. Quare herus in te adeò exar-
ſit? Dav. Dicam, neque more meo fo-
lens, conſuam tibi jam mendacium, nè
[a] Frangas ab occo. tu etiam os mihi [a] occilles probè; non
enim me latet quàm ſoleas eſſe animatus
ad duellum, quámque geſtiant tibi pu-
[b] Citò. gni, [b] numero enim excandeſcere & actu-
tùm turbas conciere ſoles. Sos. Proinde
cave, ſi ſapis, neque tergum tuum cica-
tricoſum mortuis bubus iterum exponas:
memineris noctem illam quam verbera-
tus pependiſti perpetem; nam ſi me illu-
[c] Fictis. das [c] conſutis tuis dolis, non effugies
infortunium, licèt quadrigas inſcendas
Jovis, quamvis Mercurii geſtes talaria,
aut petaſum cum pinnulis. Da. Pax. Ego
faxo ut mihi injurato credas: Illac [d] no-
[d] Nocte. ctu quá Sol appotus probè, diutiùs
[e] Noctis Deo. ſolito dormivit cum [e] Nocturno ebrio,
Herus meus, relictâ uxore uſurariâ, in
loco [*] lectus, qui vix ubi cubuit conca-
[*] Lecti. luit (adeo in rem attentus eſt, cupiens
eam aſſiduo auctare lucro) ſtatìm ex-
perrectus, me [f] ingratiis excitat. Quid
[f] Ingratis. (inquam ego ſemi-inſomnis) here, a-
deò



deò dementiæ impletus es, ut ſurgas æta-
tem priuſquàm Sol exoriatur cum qua-
drigis? [g] Imperce tibi quæſo, neque ante- [g] Parce.
vertas [h] Jugulæ, veſperuginis & [i] vergili- [h] Orionis. [i] Pleiadum.
arum occaſum: ſi [k] afflictim, ut prædicare [k] Vehementer.
ſoles, uxorem amares, aut deperires, non
ſurgeres antequàm illi ſeminares filium,
& gravidam redderes compreſſu tuo. At
hæc mea verba alata nimis ([l] vocem enim [l] Præcipitem linguam.
volucrem geſtito) quibus illi ſupparaſi-
tari videbar, bilem commoverunt, ne-
que in [m] tranquillum conferre valebant. [m] Tranquillare.
Audiebam, Quid tibi [n] curatio eſt hanc [n] Quid curas?
rem Verbero, aut [o] mutitio, audaciæ [o] Quid mutis?
Columen, Maſtygia, Carnifex, Syco-
phanta? Méne [p] ſocienum tuum putas? [p] Socium.
& niſi nox interventu ſuo nos dirimiſ-
ſet, periiſſem: Seſe accingebat ſcipione
ſuo toros meos [q] expugnaſſere. Sosia. [q] Expugnare.
Certè præſtitiſſet tacuiſſe, & verbis tuis
advolantibus alas divulſiſſe. Da. Ve-
rum: ſed [r] cirneam vini meri, ut à [r] Vas vinarium.
[ſ] matre fuerat natum, heſternâ nocte clàm [ſ] E vite expreſſum bibi.
eduxeram; ſic Bacchus mihi linguam
præpetem fecerat, & ipſo Mercurio velo-
ciorem. So. Sed perge. Da. Cùm he-
rus fruſtrà vires ſuas effudiſſet in ventos,
& auras diverberâſſet ſatis, advertens i-
ram nihil profuturam in tenebris, quæ

me, ſeptemplicis inſtar clypei, ab ejus ictibus defenderunt, cœpit paulatim detumeſcere, méque blandis compellare vocibus, & palpo percutere: Heus, inquit, *Dave*, ſi mavelles me tibi t fautorem & patronum, quàm hoſtem; ſi non vis obtundi pugnis, aut in tergo u expeti tua ſcelera; ſi non cum vino x ſimitù ebibiſti imperium in te meum, nè y prævortas tuum ſomnum præ meo commodo, neque ſomniculosè exequaris mandata mea; z nequiter enim huc uſque expetivit tua contumacia. Agè ergo, recipe te non in *Lemnum*, ſed ad caminum culinæ, *Vulcanum* ibi dormientem excita, & à complexibus, non ſuæ Veneris, ſed cineris, avelle; a face ut mox luciſcat jam hoc. Sos. Quid tu ad hæc? Nonnè b tuatìm reſpondiſti? Da. Certè, (inquam ego) ſi c loripidem illum Deum apud nos hic deliteſcentem invenero, non (ut olim de cœlo Jupiter) deturbabo, ſed, d Nymphis noſtris in eum immiſſis, ſuffocabo; neque, ſi e occepſo, deſinam, antequàm f animam puteo intertraxero, & in hunc effudero. Illi non ſuccurret, ut quondam, g ἀργυρόπεζα *Thetis*. Malè ſit ei, qui & *Minervæ* noſtræ vim intulit, & h *Erychthonium* in terra noſtra ſeminavit;

t Fautorem.
u Expendi, Puniri.
x Simul.
y Præferas.
z Infœliciter evaſit.
a Ut lumen accendatur.
b Tuo more.
c Vulcanum.
d Aquis infuſis.
e Incepero.
f Aquam hauſero totam.
g Argentipes.
h Contentionis Deus.



vit; quin *Martem* etiam barbarum, tot annos retibus ſuis implicitum, impunè demiſit: & nunc i Ἀνδροφόνος ille, relictâ Thraciâ, ad nos, cum comitibus ſuis, Timore, Irâ, & Clamore, commigravit, ubi omnia ſuſque dêque feruntur;

*——fruſtrà enim, retinacula tendens*
*Fertur equis Auriga, neq; audit currus habenas.*

Sos. k Rumificant quoſdam nunc in Italia, qui, pacis tempore, in obſcuro vitam agebant, quíque in caveis vix * conquiſitores erant, jam incedere l torulis aureis inſignes, quos illis *Areopagitæ* m condonârunt. Da. Eccaſtor, novi nonnullos, qui antehac n ſecundùm ibant, nunc anteambulones in acie; ſed primo o cœtu fidunt pedibus, potiùs quàm manibus, aut ſibi pulchrè cavent poſt principia: patiuntur ſe libentiùs *Veneris* quàm *Martis* amplexibus p implicíſcier? Sos. q Eccerè, dignos Bellatores mihi narras,

*Qui non ad Veneris, nocturnaq; prælia ſegnes,*
*Aut ubi curva ſacros indixit tibia cantus.*

Sed quid Britannos, populares tuos, adeò r delirantes concinnavit, ut in ſe ita ſæviant? Nos *Ciſalpini* credimus illos pro

i Occiſor hominum.
k Rumore ...nt.
* Speculatu...
l Torquibus.
m Donârunt.
n ...onè ſequе...tur.
o Coitu.
p Implicari.
q Ecce.
r Deliros fe...it.

[s] Cerratis circumferendos, qui, deridiculi gratia, ſe mutuis lanienis hic conficiant, ut putares λυκανθρώπους ibi degere: cum tamen audio nullos, ibi lupos, *Martis* animalia, vivere; an ergo ibi, ſecundùm diverbium, *Homo homini lupus*? DAV. O *Soſia*, *Soſia*, Satin' parva res eſt [t] voluptatum in vita, [u] præ quam quod moleſtum eſt: [x] nunquam divini quidquam poſthac mihi creduis, ſi non libenter oculos corrumperem, cum reputo mecum, vel rationem ducto, quot viri, examuſsim optimi, in hoc bello ad mortem dati ſunt, neſcio quibus maleficiis [y] deliniti. Præſtigiatores quidam Romani patriam meam miſeram [z] fruſtrantur. Alii ex his nugas neſcio quas è pluteis blatire non erubeſcunt, cúmque pudoris egeant, nolunt ſumere mutuum: ſed nolo hic [a] teſticulari præſente vobis, verùm hanc rem inquiſitam amittam. SO. Cave ſis, nè tua te lingua [b] perduis; rimas omnes oblinas, nè quid effluat; ſervorum generi non decet quidquam effutire; comprecatum potiùs oportet, [c] qui in ſuperiore cœnaculo habitat, prodigiali *Jovi*, aut *Junoni* matrifamilias, ut illos qui [d] belli cluent, ad pacem inclinent, viróſque probos huic negotio allegent.

DAV.

[s] Pro lymphaticis & à *Cerere* tactis luſtrandos.
[t] Quàm parvæ voluptates.
[u] Præ eo.
[x] Formâ Juramenti credas.
[y] Decepti.
[z] Faſcinant.
[a] Teſtes inducere.
[b] Perdas.
[c] In Cœlo.
[d] Bello clareſcunt.



DAV. Utinam Mercurius aliquis [e] adventum ſuum huc apportet, ut caduceo gladiatorum noſtrorum pugnas dirimat, útque rixas noſtras [f] diſpellat. SOS. Quis homo tam fœlix [g] ſuat, qui ſeriò hujus Regni ruinam [h] prævortier deſiderat? Quot, quæſo, ſunt, qui ſe factis impudicis abſtinent? Quot potiùs ſunt [i] quos propter corpora ſua ſtupri mulieres complent? Nonnè [k] exjurant, coronas capiunt, & indiès madidi ſiunt, quaſi ſiccis omnia dura Deus propoſuiſſet? Juvenes fores civium innocentum effrigunt cardinibus, quaſi cenſerent eas publicitùs præberier. Jam unuſquiſque Verna, & ulmorum [l] Acheruns, in viros probos mendacia funditat, & infortuniis mactat impunè. DAV. Novi ego quendam Maſtygiam, dignum qui bubulis codoriis oneretur, & fiat [m] *Saturni* hoſtia: hic, cum herum meum procul ſuis ædibus [n] prohibeſsit, bacchanal ibi cum compotoribus ſuis exercuit, omnémque victum noſtrum manſitavit; mihi intereà impranſo vacuus crepitabat venter: credas te larvam umbratilem videre, ſi me, qui [o] gradus grandire anteà ſolebam, teſtudineo paſſu reptantem ſpectâſſes. Non audebam [p] oppeſſulatas fores minuſ-

[e] Adveniat.
[f] Ultrà pellat.
[g] Fiet.
[h] Præverti.
[i] Propter quos.
[k] Pejerant.
[l] Cujus terga ulmos vorant.
[m] Ut occidatur.
[n] Prohibuerit.
[o] Celeri gradu.
[p] Clauſas peſſulis obductis.

culo pultare digito, ni vellem caput diminutum auferre, &, probè conciſus pugnis, cum dentibus linguam excreare. Sos. Hic eſt belli ludus; ſed nulláne reſtat ſpes componendi hoc q litigium inter vos? Dav. Tot ſunt *Attici* in noſtra *Arcadia*, homines in lupos verſi, qui, *Polyphemi* inſtar, viſceribus miſerorum, & ſanguine veſcuntur atro; tot qui oleum camino addunt, quíque quæſtum faciunt uberrimum ex noſtris damnis, ut nulla penè ſpes ſit diſſipandi hanc nebulam, quæ ex ſpiratu & anhelitu noſtro r conſtat. Putares Noſtrateis hic ſacrificare nulli præterquàm *Jovi Lycæo*, vel *Saturno*; certè Martigena illa bellua, quam *Europæ* ſ Quæſtor aggreſſus eſt, inter nos anguineo hoſtes peperit ſemineo. Frater fratrem, immò pater filium haſtâ trudit & galeâ, cúmque diris aguntur malis, nec t exantlare poſſunt tot clades impatibiles: Harmoniam tamen, *Veneris* filiam, inter ſe admittere quidam nolunt; ſic ſpes atque opes vitæ noſtræ jacent ſepultæ in pectore; niſi propitius cœli Cultor, perduelles u Papiſtas, & x latrones hybernos omnes, qui tot Patriæ meæ impegerunt vulnera, virtute contundat, eóſque piorum occiſorum manibus ſacrificet. Sos. Sed quâ

q Lites.

r Conflatur.

ſ *Cadmus* quæſtor.

t Exhaurire, Superare.

u Hoſtes.

x Milites.



quâ fiduciâ audetis ab illo implorare ſuppetias, quem totiès crapulâ, faſtu, cædibus, ſacrilegiis, irritatis? Quàm diu uxores proximorum impudicitiâ impetitis? cum quibus clàm conſueti cubilibus, theſauros ſtuprorum tot apud vos habetis. Sed nè irritem crabrones, hæc miſſa faciam, & redeamus ad herum tuum: Quomodò illi tecum conventum eſt? Da. Dicam paucis: Heri blanditiis victus, poſtquàm y Lemnium Deum, non jam in Ætna *Jovi* fabricantem tela, ſed in camini noſtri mollibus ſavillis involutum expergefeci, tenebras, defenſores meos, in fugam demens verti, & ædibus excluſi. Herus bilem illam, quam mox per carnifices ſuos in ſcapulas & lumbos meos evomiturus erat, ſub alto pectore premit, ſimulánſque ſe rem divinam facturum, juſſit me z *Vulcanum* cornu concluſum geſtare, illíque in templum præire. Ego jam heri mei Lucifer factus, lætabundus incedo, glorians me ignipotentem Deum corneæ caveæ, ut olim *Tamberlanes Bajazetem* ferreæ, vinctum circumferre: ſed ille, me inſcio, non in templum, ſed in piſtrinum inducit; adeò enim a heſternus *Bromius* cerebrum meum excantârat, ut neſcirem quò me pedes ferrent. At at, inquam

y Ignem.

ferre, ac
ſâ cande

a *Bacch*

inquam ego, (cum ſenſi me deluſum) Hoccinè templum? Egóne futurus hoſtia? An hi carnifices, qui me ſpoliant, ſunt Sacerdotes tui? An hic cornutus Mulciber eâ gratiâ in corneum carcerem incluſus eſt? Quid multis? Tres Ætnæi Cyclopes, ut mihi videbantur, verberibus invadunt;

*Atq; inter ſeſe multâ vi brachia*
*tollunt*
*In numerum.*———

Hi non me dimiſerunt antequàm ſatur fui flagris, tantúmque cruoris *Baccho* ſacrificavi, quantum exantlarem illius liquoris; ſic ut ego, qui [b] gralatorius antehac videbar, & dædaliis ferri remigiis, nunc teſtudineus incedo. Sos. Poſthac, ſi ſapis, tergo & cruribus melius conſules, & cavebis opinor, nè rurſus modici tranſilias munera *Liberi*. Dav. Ita me malè amet [c] *Dionyſius*, ſi poſthac tetigero [d] laticem lyæum, niſi lymphis bene domitum: intereà me domum rectâ recipiam, ut ſtomachum hunc, præ fame latrantem, offâ compeſcam; integrum jam ædipòl biduum, nec [e] *Cererem* ſalutavi nec *Liberum*.

[b] Celeri gradu antè incedebam, nunc tardo.

[c] *Bacchus.*

[d] Vinum.

[e] Nec edi, nec bibi.

COL. II.



# COL. II.

## EX ASINARIA.

*Syrus. Geta.*

DIc mihi, *Geta*, [a] catenarum Colone, quid cauſæ eſt quòd nos ſervi nauclerico ornatu amicti incedimus? Get. Dicam tibi, *Syre*, [b] flagrorum gymnaſium: quia nos ſervi nautæ ſumus, & ſervitus mare periculoſum, in quo non minus jactamur procellis, quàm qui in altum ſe remigio velóque capeſſunt. Quoties [c] *Æacidinis* minis nos territant domini, quoties numellis, nervis, boiis, [d] incloctores, & noſtri tergi gnari Doctores includunt & vinciunt; quoties lentis afficimur virgis, dum manicæ manus complectuntur; quoties valentes Virgatores ad [e] languorem damus, nonnè videmur toties tempeſtatibus jactari, & quaſi naufragium facere? Sy. Deum Fidium juro, rem acu tetigiſti; nam herum habeo calcitronem, adeò plagoſum, ut aſſiduis verberibus latera mea jamdudum occalluerunt: ſæpe me illuc ducit, [f] ubi lapis lapidem terit, ubi flent nequam homines, qui polentam pinſitant, nempe, apud [g] fuſtudinas ferricrepinas

[a] Qui inter catenas degis.

[b] Flagris exercite.

[c] *Achillæis*, terrificis.

[d] Κλοιμὸς, eſt ſtrepitus virgarum.

[e] Defeſſos reddimus.

[f] In piſtrinum.

[g] Ubi fuſtibus tunduntur homines, ubi ferrea vincula crepunt.

ferricrepinas inſulas, ubi vivos homines [h] mortui incurſant boves. Sæpe de die me virgarum facit laſciviam, neque ullâ flectitur miſericordiâ, licèt aliquando [i] largus lachrymarum ſim, & pietatem piem. Jam verò aſſuetudine flagrorum tanta eſt ſcapularum confidentia, ut virtutem ulmorum flocci faciant. GET. Miſerior eſt ſervorum, quàm nautarum conditio: hi enim pelagi minis territi, & undis vexati, [k] portiſculos ſuos habent, & [l] caſterias: nobis patronus nemo eſt; ſordidam vitam atro pane oblectamus, in pannis inopia, arctè contentéque habemur; ſæpe [m] defrudamur, ſæpe verba quæ loquimur deſpuere, & excreare cogimur; ſæpe ex curſura anhelitum vix ducimus, quin dies integros, noctéſq; [n] ingratiis ſudore noſtro & labore laceramus: præſtat piſcem eſſe patinarium, aut rete [o] jaculum, immò [p] moriri, quàm talem ſervitutis peſtem [q] oppetere. SYR. Certè vix credo aſinos, quorum ungulæ ſubtritæ ſunt ad fœmina, miſeriorem vitam agere: herus meus aſſiduè domi [r] duellique vexat me; largum facit nocturna opera, & [ſ] interdium negotioſum, labori ſemper meo ſuppeditat; vel enim operas araneorum dejicio,

[h] Flagella coriacea.
[i] Abundè fundo lachrymas.
[k] Pergulas in nave, vel parvos portus.
[l] Loca navis ubi reponebantur remi.
[m] Pars frugum ſubtrahitur.
[n] Ingratis, ſine gratiis.
[o] Quod jacitur in mare.
[p] Mori.
[q] Incidere.
[r] Domi bellique.
[ſ] Interdiu.



jicio, vel [t] bullas in ſplendorem do, vel conſervas fores obſero, reſero: nunc ad vinarium, nunc ad trapezitam curſito, nec [u] optiones ullas habeo; non tamen illi ſatago, nec operam meam [x] hoſtimentum putat, ſed quando volet ulmeum facit; & licet illi meam operam ipſâ Lubentiâ lubentior navem, nullam tamen mercedem aufero, præter plagas [y] prægnantes de tergo: hoc meum peculium eſt, hæ meæ opimitates, hunc theſaurum in tergo gero; non tamen tinnire contrà audeo, aut [z] vinulâ oratione demulcere, aut caput [a] caſare, quin ſtatim os pugnis opprimat. GET. Nulnúmne tibi [b] pręfiſcine adverſus faſcinatorem illum? Si [*] liceſſit, ædes ejus compilarem, nummos reſcriptos auferrem, omnibus ſuis bonis eluerem, & [c] ſupremum dicerem, neque conceſſarem pedibus, ſed ſtatim me in fugam conjicerem. SYR. Certè conſilium hoc mihi non diſplicet; abuſa enim non durant. Quaſi illex eſſet, fraudem ſæpe in vicinos [d] frauſus eſt ſycophantias id ætatis adverſùs viros probos ſtruere ſolet: quin capularis jam ſenex, & æquum [e] centupodium atratis veſpillonibus brevi futurus, figitur [f] clavo *Cupidinis*, adeò ut uxor

[t] Æneas, intelligo.
[u] Adjutores.
[x] Compenſationem.
[y] Plurimas plagas.
[z] Molli & dulci.
[a] Quatere.
[b] Quo præcavetur faſcinum.
[*] Liceret.
[c] Valedicerem.
[d] Commiſit.
[e] Centum pondo pendens.
[f] Indulget Amori.

uxor cuculum è luſtris rapere ſæpe cogatur : quin tam ſordidè avarus eſt, ut egenos portitores ſoleat privare portoriis ; nunquam mercatur niſi Græcâ fide ; adeò oculatæ ſunt illi manus, ut nihil credant, niſi quod vident : pauper non poteſt illi vel quadrantem electare, etiamſi ſupplicâſſet illum : g percies ſi debitam pecuniam expeteſſis : garrulitate ſuâ vicinos enecat, neque h verbis velitationem i compendi fieri unquam cupit. Hæc auriti vicini non ignorant, qui me ſolicitant, quoties in plateis mihi k occeſſerint obviàm, ut ridicularii ſenis l nox jugulum petam ; illius mortem aiunt hoſtiam fore m ſuccidaneam, diiſque gratiſsimam. Quid inutile, immò nocivum illud terræ pondus vicinos diutiùs conturbaret ? Piſcem vetuſtate nequam, & putridum evaſiſſe, & n Cocionem nihili eſſe cæcum. GET. Sed interim cavendum, *Syre*, nè olfaciant heri noſtri nos hujuſmodi quidquam adverſus eos machinari ; nam ſcis illos vitæ & necis, ſed lege iniquiſsimâ, in ſervos habere poteſtatem ; & quo jure, quâve injuriâ à vita o abjudicare poſſunt : hoc nobis ſervitus legat teſtamento, ut ludibrium dominorum ſimus, & omnium mor-

talium

g Irritas, excrucias.
h Verborum.
i Compendioſam.
k Occurrerint.
l Noctu.
m Secundam.
n *Cocio*, ſeu Μεταβολεύς.
o Occidere.



talium miſerrimi : licèt multa iniqua nobis p expetant, habendum & ferendum eſt hoc onus cum labore. Si petas ut pro opera tua herus q hoſtire velit contrà, ad orcum te mittendum minabitur, ut ibi legatione apud *Proſerpinam* fungaris. SYR. Diis habeo gratias, qui me hactenus * ſervaſſint ; ſed r interibi quid faciendum putas ? An ſ capuli decus illud ſemper mihi calcibus ſuis inſultabit, immerito meo, non me aliter tractans quàm equum ſuccuſſorium ; quem, cum non t tolutim badiſſat, calcibus & fuſtibus fatigat ? An non animam ejus fætidam, quæ toties naſum hunc oppugnavit, (u nauteam enim olet) ad inferos detrudam ? Petiſne ut lupo tali mulſum è cantharo præbeam ? Certè credo me heræ meæ opus gratum facturum, & x commodas aliquot ab ea habiturum minas, ſi cani iſtius capitis cerebrum diminuam ; nam ſæpe quæſta eſt virum ſuum apud ſcorta corruptelæ & liberis luſtris ſtudere, opere foris faciundo laſſum noctu advenire, fundum alienum arare, incultum familiarem deſerere, quin ipſe ſæpe conticinio cum ſcorto illum y pollucibiliter cœnantem offendi, & labella cum labellis comparantem. Hera conſtituit

illi

p A nobis requirant.
q Remunerari.
* Servârunt.
r Intereà.
ſ Decrepitus.
t Gradatim incedit.
u Aqua fætida ſentinæ navis.
x Juſtam ſummam.
y Opiparè.

illi ſcorto [a] diem dicere, & illius ex amore incendium aliquo modo extinguere; quòd toties [b] receptio eſt ejus virum. GET. Licèt herus tuus meritiſſimo ejus mortem mereatur, nollem te tamen illi manus injicere; ſervus enim es: actum erit de ſalute [c] interioris corporis, ſi tam nefandum homicidium commiſeris: præterea, crucem effugere nequis; etiamſi confricentur Imperatoris genua, licèt *Herculi* [d] pollucere velis, quamvis arte fullonicâ veſtes [e] interpolaveris, aut pollinctorum induas velamina, evadere tamen Dei iram, aut latere nequis. Deinde, quæſo te, conſidera quàm brevi à tali tyranno liberandus es, cujus vita ob ſenium vix futura eſt [f] annua: neque te offendat hic veſtis color; diſtinctionis enim cauſâ diverſorum colorum uſus eſt: Principes purpureo, Servi cæruleo, veſpillones atro, & ambientes magiſtratum candido, novæ nuptæ flammeis coloris lutei utuntur; ſorte noſtrâ contenti ſimus, & æquo animo ſervitutis noſtræ jugum feramus, nam

*——levius fit patientia,*
*Quicquid corrigere eſt nefas.*

SYR. Gratias reddo pro tam ſalubri & opportuno conſilio. Ego hoc opus [g] exaſciatum

[a] In jus vocare.
[b] Recipit.
[c] Animæ.
[d] Sacra facere.
[e] In novam formam poliendo mutaveris.
[f] In unum annum.
[g] Inceptum.



aſciatum in medio relinquam. Nunquam fuit mihi jactus Venereus gratior, quàm occurſus hic tuus hodiernus: nunc mihi aliò properandum eſt; cras ſi videbitur iterum conveniemus, tum de hac re verba [h] fœnerato funditabimus.

[h] Cum fœnore.

## COL. III.

### Ex AULULARIA.

*Eubolus. Miſogynes.*

NIſi me fallant oculi, veterem congerronem meum, *Miſogynem*, video: Adibo, & compellabo hominem. Salve, *Miſogynes* [a] nugigerule: Quid adeò macer & pallidus es, pelluces ut laterna punica, ita ut in ſole tibi vivo liceat inſpicere exta? An apud *Proſerpinam* legatione functus es? MIS. Certè plurima mala ſe agglutinant in me, nec ſalutis vadum uſquam conſpicor, nec mihi [b] catapirates adeſt ad explorandam horum malorum maris altitudinem: malim indiès ſubire [c] cenſionem bubulam, & redigere in ſplendorem compedes, quàm cum tali trivenefica uxore, & fure manifeſtaria vivere. Haud [d] cauſificabor, ſi quis me enecet in nervo.

[a] Qui res muliebres vendit.
[b] Linea cum miſſa plumbea.
[c] i.e. Loris cædi.
[d] Non querar ſi quis mihi gulam frangat.

EUB. Certè cor mihi incipit [c] artem facere ludicram, & in pectus emicare: nam quis malus Genius inter vos lites ſerit? Non ita pridem tam perditè eam deperibas, quòd veritus ſim nè, ſi eam in uxorem non duxiſſes, præ amoris intemperie collum laqueo obſtringeres, & ex te faceres [f] literam longam. MISOG. Utinam mihi gulam interſtrinxiſſem cùm verberabiliſsimam illam uxorem [g] obſtinavi; mavelim emortuum me leto malo, quàm cum illa diutiùs ſub eodem tecto degere, cujus [h] inſatietatibus nulla lex: mihi mutanda eſt colonia, nequeo enim illius imperium & immodicos ſumptus diutiùs ferre, aut contumelias pati. EUBOL. Quid facies? jam uxor eſt, qualis qualis ſit ferenda eſt, aut prudentiâ & humanitate tuâ in ordinem redigenda; matrimonii incommoda erant præcogitanda, & vires in ferendis malis examinandæ, priuſquàm te in conjugii vincula conjeciſſes: debebas ejus indolem priùs exploratam habere, quàm in thalami tui conſortem adſciſcere: jam difficile eſt eam repudiare, aut [i] reſecrare quod ſemel obſecraviſti. MIS. Vera tu quidem prædicas, ſed præcavere, aut prævidere incommoda futura quis valet?

*Cereris*

c Præ metu ſaltare.
f Te ſuſpenderes.
g Obſtinatè expetii.
h Cupiditatibus inexplebilibus.
i Voto liberare.



*Cereris* vigiliis, impulſu adoleſcentiæ, oculis ejus emiſsitiis, veſtitu, & creta quibus ſe occultavit, in hoc malum incidi. Sublevit os mihi peniſsimè; imperitus adoleſcens eram, non *Argus* oculeus, ut hæc mala præviderem; deinde, dotis famâ impulſus, ultrò ad eam veni. EUBOL. At uxores dotatæ mactant & malo & damno viros. MISOG. At in dote etiam deceptus ſum; nam pro theſauro nactus ſum carbones, & in faba curculionem reperi: Parentes enim ejus, quos putavi divitiis ſuperaſſe picos qui aureos montes colunt, grande æs alienum conſtaverant; jam illis [k] dica ſcribitur. Servus meus *Geta*, ſtimulorum [l] ſeges, (quem, ſi vivo, dedam diſcipulum cruci, nè mihi iterum duit verba) me mendaciis ſuis & importunitate in has conjecit nuptias, & mihi miſero oneravit [m] zamiam; nam is, cupiens [n] probâſſe nugas, narravit mihi ſenem illum pumice aridiorem, abſcondiſſe in Fidei templo [o] aulam quadrilibrem auro onuſtam, quam daturus erat dotis nomine genero ſuo: Dii [p] adaxint Veteratorem illum in ſuſpendium, qui me

k In jus vocantur.
l Dignus tot ſtimulis quot ſpicis abundat ſeges.
m Oneravit me zamiâ, i.e. damno.
n Perſuadere nugis.
o Ollam quatuor librarum.
p Adegerint.

me vanâ ſpe deluſit, & hiantem *La-*
*rum* decepit ; nam miſer ille ſenex ne vel unguium preſegmina habebat quæ daret, aut q ligillum è quo fumum eliceret ; nemo jam illi quidquam r concreduit, ſed creditores omnes eum ſ vadantur. Jam t multos annos eſt quòd non auſus ſit in publicum prorepere, nec latum unguem aut tranſverſum digitum ab æde diſcedere. EUBOL. Utcunque hæc quæ narras dura ſunt, patientiâ tamen ſuperanda : quare oportet virum prudentem, etiam in adverſis, animo eſſe defæcato, cùm brevi duratura ſint hujus mundi mala, & præcipuè vitæ noſtræ voluptates oppletæ ſint inaniis ; & quæ inſania eſt inhiare divitiis tam incertis, & citò relinquendis, &, more gallorum gallinaceorum, u peniſsimè ſcalpurire ungulis terram, ut factitant ii qui rimantur aurum & argentum, omnium malorum irritamenta, in magnæ matris viſceribus ; cum in morte ne vel minimam partem x indipiſcet ditiſsimus rex y quiqui eſt ? Neque enim in ſepulchro habet *Crœſus* z quod duit, nec *Irus* quod * perduit : Mors, velut *Polypus*, tenebit aurum

q Parvum lignum.
r Concredit.
ſ Acceptis vadibus in judicium vocât.
t Multus annus, i.e. multi anni.
u Penitiſsimè ſcalpere.
x Capiet.
y Quiſquis eſt.
z Quod det.
* Quod perdat.



rum tibi a harpagatum, quod jam tantâ curâ congeris. Præterea, nonnè videmus Deam *Lavernam* ſemper inſidiari divitiis, & ſceleratos milites deſquamare, & exdorſuare opulentos, rapientes omnia, neque vel b artoptam relinquentes ? MISOG. Hæc quæ narras non me latent, nam nuper vicinus meus *Chryſalus* emunctus eſt theſauris ſuis omnibus, & ſupellectile, adeò ut glabrior ſit relictus quàm *volſus ludius* ; & c poſtideà, quia de vi & injuriâ nonnihil queſtus eſt, *Strato* quidam, de genere (puto) *Geryonageo*, ſenas habens manus, molliorem reddidit miſellum illum fuſtibus, quam eſt Cinœdus, neque audet hominem deferre ad Treſ-viros. EUB. Certè hoc d temperi deglutienda ſunt ejuſmodi catapotia, & diſsimulandæ injuriæ, & omnes ædium anguli e perviàm faciendi ſunt militibus gratis, niſi vis impleri caput fuſtibus, aut fiſsile habere ſinciput, aut per Philaciſtas in carcerem trahi. Si nihil domi habes præter laridum rancidum, quo fortè contenta eſt familia, tibi properandum eſt ad macellum, & conducendæ ſunt oves, & agni militibus cædundi

a Ablatum.
b Vas in quo panis torrebatur.
c Poſtea.
d Hoc tempore.
e Adverbialiter.

cædundi ſeu mactandi, donecum ci-
bis repleti [f] vino deponantur. Nundi-
nalis coquus tibi domi ſervandus eſt,
ut illis poſsis lautiùs [g] adire manum;
& ſi cœlum ſit paulò frigidiuſculum,
aſsiduè *Vulcano* ſtudendum. *Cereales* nu-
ptiæ militibus noſtris non arrident,
nec Θυσίαι νεφάλεοι Timetum *Marti* a-
micum. Nulla jam tractatio grata, niſi
vino [h] ſcatat; immò parati ſunt te [i] pi-
pulo differre, niſi facias illis, ut ſo-
lent ſuperis, fidelia congiali plena
mulsâ, & citis quadrigis mandata
perſequaris. MISOG. Sed hæc miſſa
faciamus: Conditio mea non fœlici-
or illorum, quorum opes prædæ ſunt
militibus; uxor mihi eſt ipsâ *Bellonâ*
rapacior: ſi ſcires quantis ſumptibus
obſonat, quot coquos quaſi in Bac-
chanal coquinatum conducat, quot
otioſos ſalutigerulos domi meæ alat,
quot ſpongias quæ mihi omne vinum
exhauriunt pitiſsando, diceres me ni-
hil miſerius: Una eſt compotrix ux-
oris vicina, quæ ſola poteſt interbi-
bere fontem *Corinthienſem* Pyrenen, ſi
vino ſcateat. Unâ nocte relevit om-
nes ſerias & dolia, & jam (ſcio) do-
mi comitia haberi muliebria de capi-
te

f Inebrientur mortuis ſimiles relinquendi.
g Tractare.
h Scateat.
i Convicio diffamare.



te meo & opibus. Quid aliud exſpe-
cto, niſi ut me meáq; omnia ſumant,
conſumant, exedant? hæc diutiùs non
[k] potem pati. Deinde, uxor eſt in æ-
re penè omnium [l] propalarum, [m] phry-
gionum, & [n] lanariorum: heſternâ
nocte [o] Patagiarii, Induſiarii, Flam-
marei, Manulearei, Myrobathrarii,
Linteones, Solearii, Strophiarii, Se-
mizonarii, Diabathrarii, Violarii, Ce-
rinarii, Molochinarii, Limbularii,
Arcularii, Crocotarei, aream meam
obſederunt, pecuniam ob merces ad
ravim poſcentes: ego coactus me clàm
per poſticum ſubducere, & [p] aliovor-
sùm ire, & teſtudineum gradum gran-
dire; alioqui de me fuiſſet actum. An
ergo [q] aliqui tibi fœlix videor? Sed,
quod mihi maximè moleſtum eſt, gra-
vida eſt, & jam propinqua paritudo
appetit; [r] mei tamen faſtidit, & ali-
os amatores domi meæ ſumptibus meis
alit; proſtibulum popli duxiſſe vide-
or non uxorem. Si ſermonem meum

k Poſſum. l Qui vendit merces palàm. m Qui veſtes Phrygias vendit aut facit. n Qui lanam faciunt aut vendunt. o Qui patagium, hoc eſt, clavatam clamydem vendunt; Induſiarii, qui induſia; Flammarii, qui flammeum; Manulearii, qui manuleas, i. e. manicas tunicæ; Myrobathrarii, qui unguenta & odores; Linteones, qui lintea; Solearii, qui ſoleas; Strophiarii, qui ſtrophiam ſeu faſciã muliebrem circa mammas vendunt aut conficiunt; Semizonarii, qui ſemicingula, ſeu ſemizonas; Diabathrarii, qui ſoleas Græcanicas vendunt; Violarii, qui violæ colore tingunt; Cerinarii, qui ceræ, ſeu flavo; Molochinarii, qui colore molochino, id eſt, flori malvæ ſimili; Limbularii, qui limbos veſtis vendunt; Arcularii, qui areas faciunt; Crocotarii, qui crocotas inficiunt, i. veſtes flavas. p Aliorsùm. q In aliqua re. r Me faſtidit.

ediſti, [f] quis ea ſit vides. EUBOL. Lapides loqueris, & dicta tua mihi cerebrum excutiunt: non decet uxoris tuæ vitia ita deblaterare; mavelim me elinguandum dare uſque ab radicibus, quàm ſic in mulierem meam abſentem debacchari. Præſtat eximere manu manubrium, id eſt, omnem peccandi anſam & occaſionem uxori auferre. Reſpice id manticæ quod in tergo eſt: plerumque maritorum vitio fit, quòd uxores ſint parùm pudicæ, parúmque frugiferæ: ſi te [t] mutâſſis, mutatam uxorem videbis. Eas domum, blandiloquio, & ſuavitate morum, duellum hoc domeſticum componito; & nè ſpurcidicis dicteriis, ut ſoles, Camerinam hanc moveto: contolle gradum, ſíſque uxori ratis; ſic oculi ejus ſcient, quod frons tua velit: his artibus ex mala facies meliuſculam.

f Quænam ea ſit.
t Mutaveris.

# COL. IV.

## E CAPTIVIS.

*Nephalius. Lurco.*

QUid eſt, *Lurco*, quòd redieris [a] moloſſus, qui non ita pridèm abieras [b] venaticus? LUR. Quid tibi vis, *Nephalie*? NEPH. Quia hinc diſcedens, nihil

a Pinguis.
b Macer.



nihil aliud mihi videbaris quàm oſſa & pellis miſerâ macritudine; nunc verò, quaſi quotidie [c] Genio ſacrificâſſes, aut cellarius factus fuiſſes, cui res cibaria credita eſt, pinguedinem ſuillam contraxiſti, & facies in ruborem data, quaſi ex officina *Vulcani* prodiiſſes, quin & *Pinguis* [d] *aqualiculus protenſo ſeſquipede extat.* LUR. Ego jam aliquot menſes ruri rurabam cum amico quodam [e] polypluſio, & liguriebam. NEPHAL. Quod eſt illi nomen? LURC. [f] *Philodeipnus* vocatur. Nemo mortalium illo excipit hoſpites lautiùs & benigniùs; ex cujus ædibus nunquam * remittitur edendi exercitus: illuc [g] Piſtorienſes, Panicei, Placentini, Turditani, Ficedulenſes, [h] Maritimi milites, Porcinarii, & Lanii qui [i] concinnant oves orbas liberis, aſſiduè commeantes videbis. NEPH. Videtur victum ejus [k] commeare ſcrupoſam viam. LUR. Certè ille non veſcitur cœnis [l] terreſtribus, nec δείπνοις, quod aiunt, [m] ἀναίμοις· Hoc agnoſceres, ſi videres quanta indiès ibi ſit laſſitudo Laniis, Porcinariis, & Coquis; quanta ibi carnium & piſcium copia, quanta [n] ſaturnitas: Indiès detruncant [o] collos tergoribus ſuum; à mane ad veſperam

c Epulis interfuiſſes.
d Venter.
e Ditiſſimo.
f Amatorcœnarum.
* Nunquam deficit ciborum copia.
g Piſtores, & qui turdos, &c. vendunt.
h Piſcatores.
i Reddunt orbas ſuis agnis.
k Eſſe ſumptuoſum & difficilem.
l Herbaciis.
m Incruentis.
n Saturitas.
o Colla.

ram fovent epulas foculis ferventibus: totum penè tempus inſumitur præſtinando, deſquamando, exdorſuando ophthalmias, ſcombros, trigonos, aliósque piſces; prætruncando [p] glandia tergoribus ſuum, vervecum & agnorum; ut taceam phaſianos, perdices, attagenas, & id genus avium delicatiorum: ibi non ſinuntur diu pernæ indemnatæ pendere in carnario, ſed mei ſimiles, pernarum peſtes, laridi labes, [q] calli calamitates, ſartaginum pernicies, Paraſiti, [r] Subbaſilicani, Mendici [ſ] odioſtici & incommodiſtici, qui antehac ire extra [t] portam tergeminam ad ſaccum ſolebant, huc agminatim confluunt, & [u] calceatis dentibus mœniti, carnificinam exercent; dapes, more harpyarum, unguibus invadunt, ——*Contactuq́, omnia fœdant*
*Immundo*,—— & [x] modiales calices exhaurirint. NEP. Mihi *Apitium* depingis, aut *Lucullum*, vel *Caligulam* potiùs, aut *Heliogabalum*; ——*O prodiga rerum Luxuries! nunquam parvo contenta paratu.* Quæ inſania, Otioſos, Sycophantas, Veteratores, & Gnathones, qui, tanquam mures, ſemper edunt alienum cibum, tantis ſumptibus alere, qui falſidicis fallaciis juvenum nobilium, & imperitorum rerum,

rum,

p Glandes, ſeu colla.
q Carnis duratæ.
r Otioſi, qui ſedent ſub baſilicis.
ſ Odioſi, & incommodi.
t Oſtienſem à tergeminis Horatiis & Curiatiis dictâ.
u Paratis & accinctis muniti.
x Modii capaces.



rum, opes [y] deartuant? Satores illi & ſartores ſcelerum omnium, & meſſores, condendi potius ſunt compediti in lapicidinis, & aſſiduis laboribus laſſitudo abigunda eſt ex corporibus illorum. Interea dolendum eſt [z] Agoronomum ibi eſſe neminem, & edictiones ædilitias dormire. LUR. Quid ais, Statua Verberea? Túne baccharis in homines te longè meliores? Indignus es cui Deus lucis tuendæ det copiam, cùm tibi ſatis ſit peculii, ærumnas tamen [a] exigis aſſiduas, abſtinentia tua & parſimonia. Quoties tibi venter & guttur [b] reſident eſuriales ferias?

*Siccis omnia nónne Deus dura propoſuit?*

Neque, ut ait Poeta,

*Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines,* quàm ſaturitate ebrium eſſe: Aut, ut ille ait, *muneribus* Liberi *uti*. Ilicet in malam crucem donum, & [c] cœnam aſperam dentibus truncato. NEPH. Mavelim [d] me fuiſſe quàm eſſe; immò, [e] deruncinari, aut deartuari, quàm cum hujuſmodi imi ſubſellii viris, ſeu potius [f] Laconibus, & plagipatidis, [g] aperto capite ædes ditiorum adoleſcentum invadere [h] lamentarias, & dentes ad alienum cibum [i] reſtringere, & [k] in ventrem tan-

y Diminuunt.
z Qui cibariæ rei leges præſcribit.
a Suffers.
b Feriantur cum eſurie.
c Ex oleribus.
d Mortuum.
e Runcinâ lacerari, ſc. Inſtrumento fabrili, quo ligna levigantur.
f More puerorum Laconicorum plagas patientiû.
g Sine pudore. h Lamentabiles. i Nudare. k Ad explendum ventrem.

tam

tam ſumere confidentiam, quantam vos Paraſiti ſumitis, qui omnes l compacto unam rem agitis & ſtudetis, quaſi in m velabro olearii, quomodo ſcilicet illaqueetis & exedatis juvenes opulentos, qui n apti ſunt hæreditatem effertiſsimam o ſine ſacris. LUR. Cor mihi ſuſſultat, *Nephalie*, nec quieſcit dierectum, nec ſuſpendit ſe, dum te ita blaterantem audio: Niſi linguam effrænem tuam comprimas, os tibi verberabo p ſcirpiculis piſcariis, & te mox faciam dentilegum. Propterea, eminor, interminor, nè mihi obſtiteris obviàm; nam q pugillatum incipio. NEPH. Licèt tibi pugnus baliſta eſſet, cubitus catapulta, humerus aries, & me ſtatim morti mitteres, non tamen deſiſtam r ſutelas veſtras, & nequitias,& ingluviem patefacere: Digni eſtis, tu & tuæ farinæ nebulones, in quorum tergis moriantur virgæ, & qui in latomiis lapidariis conficiatis ſ ſeſquiopus quotidianum; Quid enim ſceleſtius, & rebus publicis pernicioſius, quàm permittere hujuſmodi otioſos ventres impunè perreptare; more ranarum Ægyptiacarum, aulas Principum, & domos divitum in fraudem illicientes eos, pollicitando & ſollicitando eorum animos lactantes,

l Quaſi communi pacto.
m In loco Romæ juxta Aventinum.
n Adepti.
o Sine ſumptu.
p Ex quibus naſſæ vimineæ fiunt.
q Pugnos paro.
r Dolos.
ſ Opus & dimidium.



lactantes, & t offuciis os illis ſublinentes? Qui u potiti ſunt hoſtium, & inter ſacrum x ſaxúmque ſtant, non tam miſeri ſunt, quàm hi qui incidunt in manus horum ſexcentoplagorum, qui non ſolùm patrimoniis edacitate ſuâ damnum inferunt, ſed animas etiam malis conſiliis, tanquam veneno, inficiunt. Mirum nullas in vos extare baſilicas edictiones. Non ferimus lanios qui imponunt emptoribus, qui dant y agninam duplam pro ſimpla, & z petroni nomen indunt verveci ſectario; patimur tamen peſſimas regnorum peſtes, adulatores, vivere, qui ſpe cœnaticâ, vel privati lucri gratiâ, quod multos luculentos reddidit, integras familias, & reſpublicas peſſundant. Quæ inſania Parentes parcè & duriter vivere, ſuúmque defraudare genium, ut hæreditatem amplam filiis relinquant, quam vos rapaciſsimæ Harpiæ, immundæ volucres, uncis manibus diripitis, polluitis, & obſcœno ore voratis?

*Triſtius haud vobis monſtrum,*
*nec ſævior ulla*
*Peſtis & ira Deûm Stygiis*
*ſeſe extulit undis.*

Olim, dum Juvenis apud Gallos agerem, cognovi

t Fallaciis decipientes.
u Capti ab hoſtibus.
x In periculo mortis verſantur.
y Dant ovillam pro agnina.
z Arietem vervecem vocant. Petro à duritie carnis. Sectarius à ſecando.

cognovi quendam opulentiſsimum (ſi nunc vivat nécne Orcum ſcire oportet,) is tam tenax, parcus, & avarus fuit, ut vix ſibi ipſi [a] dapinaret cibum, ſed veſceretur radicibus & herbis quas ipſe ex agris & ſylvis colligebat. Nunquam erogavit vel nummum in focum, ſed ipſe lignatum quotidie rus ibat, & onuſtus putridis ſarmentis, domum ſub ſeram noctem redibat; follem ad gulam obſtringere ſolebat, & obturare inferiorem [b] gutturem, ne quid animæ amittat. LUR. Quam tu fabulam * incipiſſis? NEPH. Nè me interpella. Inediâ, & aſsiduis vigiliis ſe maceravit, ut nullus quadrupedans crucians ſeſſorem cantherius ſtrigoſior eſſet: verebatur mures, nè arroderent aurum ſuum; araneis quotidianum bellum indixit, metuens nè auro ſuo retia tenderent: non fidebat ipſi Fidei, non umbræ ſuæ, non luci quam excluſit à loculis; effodiſſet, ſi potuiſſet, ipſi diei oculos: ſi hominem videres, jurares te videre ipſum Deum *Pannucium*, adeò ſentus & ſqualidus, pannis anníſq; obſitus erat. Huic unicus filius fuit adoleſcens; is, priuſquàm ſibi [c] eſſet deliquio parentis, ſuaſu quorundam ventricolarum paraſitorum, paterna ſcrinia, illo

a Præberet.
b Guttur.
* Incipis.
c Defectus, id eſt, ante mortem Patris.



illo abſente in agris, invaſit; aſſulatim frangendo foribus exitium attulit, univerſum theſaurum ex [d] armario ſurripuit, & compedibus quibus tot annos nummi tenebantur [e] læviorem fecit. Is, comitatus tui ſimilibus vulturiis, in *Italiam* profectus eſt; ubi in aleam, ſcorta, vinum & convivia, omnia bona patria, quæ miſer ille ſenex jam multos annos corradebat, unius anni ſpatio abligurivit. LUR. Laudo juvenem illum, qui ſilicernio tam putido, & pertinaci nucleum eripuit, & reliquit [f] pignori putamina: dignus eſt qui [g] Acherunti clueat gloriá. NEPH. Immò, tu dignus es, ſcelerate *Lurco*, ut impudens illud os tuum denaſetur [h] mordicus: nam verè es quod diceris, ut nominis tui [i] veriverbium oſtendit; nihil enim aliud es quàm lurco, & caput [k] oblatum vilitati. Unde tu mihi obviàm? Puto te huc [l] exauſpicaſſe ex vinculis, & ſpero tibi [m] redauſpicandum in catenas; jamdudum enim meruiſti, eáſque non [n] ſingularias; nullum enim nequitiæ tuæ mantellum habes, aut integumentum. Certè ipſa ſalus ſi te vult ſervare, nequit. LUR. Certè atra bilis agitat hunc hominem: ſi propiùs [o] adbites, en maculis luridis maculatur corpus. Eas domum

d Ubi pecunia aſſervatur.
e Lævavit.
f Pignore.
g Qui in ipſa morte clareſcat.
h Morſu abripiatur.
i Etymologia
k Vile mancipium.
l Iter incœpiſſe.
m Redeundum.
n Unicas.
o Accedas.

num, *Nephalie*, & vaſa tua [p] Samia reple vino generoſo; habebis me hoſpitem: emito à Scrophipaſtis porcam bene ſaginatam, & curabis eam eleganter aſſam vel elixam; illius [q] odos me facilè pertrahet abſque invitatione. NEPH. Abi quò dignus es, placentarum Acheruns, [r] te ſpes tua decollabit; beneficium quod [ſ] benefit bonis, [t] ea gratia eſt gravida bonis. Tuum ingenium diſcordabile eſt, fides fluxa, dentes ferrei, animúſque tibi eſt obſequioſus ventri: oportet priùs detumeſcat aqualiculus jejuniis & fuſtibus, quàm te convivio excipiam; occant enim ruſtici priuſquam ſarriunt. Nolo moratus eſſe tuis moribus: non opus eſt mihi jocis tuis & adulatione; dicteria tua & lepores non me provocabunt, ut [u] canem irritatam miter. Poſſum vultum meum quando volo tranquillare gratiis. Si paraſitico aucupio & otioſæ vitæ valedixeris, ſi ex ſectæ Gnathonicæ emineas ſordidis moribus, ſi ad virtutis tramitem [x] rebitas, pro rota uti me licebit; huc & illuc vortar quò imperabis. LUR. Ego non poſſum me abſtinentiæ & virtutis capiſtro aſſuefacere; liber ſum, [y] collus meus caret collariâ: mallem laborare [z] morbo qui ſputatur, [a] aut oppetere peſtem

[p] Fictilia.
[q] Odor.
[r] De collo decidet, & te decipies.
[ſ] Datur.
[t] Id beneficium repletur.
[u] Videam.
[x] Redeas.
[y] Collum caret collari.
[z] Caduco morbo, qui ſputo lævatur aut arcetur.
[a] Mori pro hoſte.



peſtem hoſtis vicem, quàm non aſſentari; qui quæſtus multò nunc eſt uberrimus. Malo ridiculus eſſe, & plagas pati, quàm tolerare famem; ut olim, cùm [b] res in urbe prolatæ eſſent, tum ſimul prolatæ erant res meis dentibus. Sed quid ego hìc ceſſo? Inſtat prandendi tempus; jam [c] caletur, latent cochleæ. Verba tua ventrem non replent; nihil colloquio tuo jejunioſius, & magis [d] effertum fame. In [e] memoriam regredior, haud procul hinc diſtare ædes *Philoſiti*, illuc Paraſitus *Lurco* ſe recipiet; ſcio illum nolle [f] abnutare quod ab eo petiturus ſum. NEPH. Abi, video ventrem non habere aures; laterem lavo: volo uxorem meam, quæ vicinam ægrotam inviſit, inquirere, & [g] reconciliaſſere domum. Mallem quæſtum facere carcerarium, quàm cibum cum hoc è flamma petere. Quanto præſtantius eſt, & homine dignius, per virtutem emori, quàm otio & alieno cibo vivere? nam qui per virtutem [h] perbitat, haud interit.

[b] Cum res forenſes eſſent intermiſſæ, ceſſatio etiam ab eſu indicta.
[c] Calet.
[d] Refertum.
[e] Memini.
[f] Abnuere.
[g] Reducere.
[h] Perit.

## COL. V.
### E CURCULIONE.
*Nicobulus. Polymachus. Puer.*

PUto a hoſtem adveniſſe, cui diem condixi, nam cardo januæ b mutit: I Puer, & introducito. PUER. Non eſt ille hoſtis, ſed *Polymachus* vicinus, c miles centuriatus in manipulo expunctò. NICOB. Illéne qui non ita pridèm incubabat ægrotus in *Æſculapii* fano? Certè ipſus eſt, occurram: Salve, *Polymache*, à profundis Manibus revocate: nulla fuit ſpes recuperandæ valetudinis; incedebas enim cum d conlativo ventre, habebas e herbeos oculos; querebaris te liene fuiſſe cinctum, quaſi zonâ, & doluiſſe f hiras: nemo g mantiſcinari potuit te vim morbi ſuperaturum; credo te Deos ſalutâſſe dextroverſùm. POL. Nos homines Dii, quaſi pilas habent, h datatim ludunt; modò ſurſùm, modò deorſùm vibrantes; quandóque

*Tollimur in Cœlum curvato*
*gurgite, & iidem,*
*Subductâ ad Manes imos*
*deſcendimus undâ:*

a Peregrinſt.
b Stridet.
c Centurio militiâ ejectus.
d Tumido, in quo cibi & humores conferuntur omnes.
e Virides, & luridos.
f Hillas, ſeu inteſtina.
g Vaticinari.
h Dando & reddendo pilam.

Per



Per ſecundam valetudinem, honores, opes, ad ſummum fœlicitatis faſtigium nos ſæpe evehunt; eoſdémque per morbos, dedecus, inopiam, terræ illidunt, & pilos catapultarios faciunt, arreptos projicientes, & quaſi nervo torquentes, ut ſolent i Catapultæ: poſtquam enim k eâpſe quam vides dextrâ exſcidionem feci tot urbibus, tot mactavi hoſtes non mediocri infortunio, tot l Demarchos ſuperavi, & m Comarchos: poſtquam palliatos Græcos, Romanorum hoſtes infenſiſsimos, n drapetas feci, ſic ut ex iis præ metu machæræ meæ excuterem crepitum o polentarium, incidi p protinam in morbum graviſsimum, qui me diu torſit, vires proſtravit, & propemodùm exanimavit; ita ut *Summanus*, orcus, ſcilicet, ſummus ille Manium Deus, quotidiè minaretur q me ſummanare;

*Quàm propè furvæ regna*
*Proſerpinæ,*
*Et judicantem vidimus*
*Æacum?*

Mihi lien dierectus erat, ſeu (ut apertiùs loquar) diſtentus, & quaſi in crucem ſublatus; omnis cibus mihi fuit inſipidus, nec quidquam, niſi r ingratiis, comedebam;

i Machinæ bellicæ ſunt vel nervo tela longè projicientes.
k Hâc ipſâ.
l Tribunos Plebis.
m Principes villarum.
n Fugitivos feci.
o Qui polentam olet Græcorum cibum, ut puls fuit Romanorum.
p Protinus.
q Rapere.
r Invitâ.

comedebam; nulla mihi prorſùs [ſ] pareſia, at perbibeſia plurima; nihil aliud quàm [t] è ſino liquores in me ductim invergebam, adeò ut non in ventrem, ſed in barathrum mihi potum infundere viderer; nec tamen incendium meum extinguere potui. NICOB. Fortaſsis alvus tibi fuit aſtricta. POLYM. Certè decem integris diebus [u] Cloacinam non ſalutavi; nec ulla fuit ſpes eundi illuc quò ſaturi ire ſolent, niſi Medicus, qui mihi fuit alter genius, tuliſſet opem, & ventris mei cloacam injectione quadam proluiſſet; [x] quoi, ſecundum Deum, vitam hanc debeo. NIC. Sed quomodò tam gravem morbum contraxiſti? POLYM. Nè me [y] incomities, & ingenuè fatebor: Ex nimia *Veneris*, & Vini intemperantiâ, hoc malum mihi accerſivi. NICOB. Profectò jam rem acu, quod aiunt, tetigiſti; injurius enim niſi jam videbaris ſuperis, qui in eos cauſam tui morbi rejiciebas; cùm, reverà, nemo lædatur, niſi à ſeipſo: Hâc enim tempeſtate, ſponte homines degenerârunt in ſues, non potentibus herbis aut veneficiis *Circes*, ſed vinipotentis *Bacchi*. Quot enim merobibos novi, ſeu lagenas potiùs, ubi vinum ſolet *Chium* eſſe?

ſ Edendi & bibendi cupiditas.
t E vaſe ſenſìm infundebam.
u Imago in Cloaca reperta.
x Cui.
y Nè conviciere, quòd conviciatores in Comitium citabantur.



eſſe? Hi noctes & dies potitant in [z] thermopoliis, incedúntque per plateas, non opertis capitulis, ut olim ebrioli Græci; ſed aperti ſunt ſine ulla aut verecundia, aut reprehenſione; quibus irroganda eſſet multa, ſi ſecum bene ageretur; digni quibus mulierculæ, & omnes [a] Ludii barbari publicè [b] occentent: hi non videntur ſibi vivere, niſi quamdiù odos vini obſequitur eorum naſo: plenis faucibus ingurgitant avariter illud vinum, quod mox evomant; non conſiderantes intereà quot tenuis fortunæ homines periclitentur bulimia; quorum fauces fame [c] lippiunt, lactes laſſæ [d] vacivitate rugiunt. POLYM. Fateor equidem bibendi illud cacoëthes pervaſiſſe univerſam penè Europam, omnéſque hominum ſtatus & ordines, imò ipſos Sacerdotes, & Monachos invaſiſſe; qui, licèt Curios ſimulent, Bacchanalia tamen vivunt. Cœleſtis vitæ profeſſores, cœleſtis arcus inſtar bibunt: eorum namque nonnullos novi, qui vineam mererentur ſtatuam, gutturi ſeu bibacitati monumentum, adeò ſtrenui potatores ſunt. Peſsimus hic mos tam invaluit, ut nulla jam putentur convivia, niſi vino madentia, niſi lepidus *Liber* dominetur; imò, ſi ſodales aliquot

z In caupone ubi cibi & potus calidi venduntur.
a Pueri Italici ſaltatores.
b Convitientur.
c Metaphora ab oculis.
d Vacuitate.

forte coëant, & c ſymbolas in cœnam conferant, non ſurgunt priuſquàm pes & manus ſuum rectè facere officium deſtiterint. His immodicis compotationibus morbum meum acceptum fero, ut nihil dicam de jactura temporis, & rei familiaris: ſæpe ſerò cœnans nocebam nocti; dies ſomno, noctes comeſſationibus dicare ſolebam: ſæpe excluſi ſolem, ut mihi luceret cereum apicularum operâ congeſtum. NICOB. An non vinolentia tua te ad *Venerem* ſtimulavit? POLYM. Ex ſerotina potatione, ſæpe coactus ſum *Veneri* in ara ſua f jentaculum inferre, & illicita g pangere ſuavia, non ſolùm puellis, ſed etiam h jugum ferentibus. NICOB. Non mirum, cum flamma fumo proxima ſit. POL. In hac ipſa urbe quidam i Ditis damnoſi mariti ſunt, qui ad k propudia, & l ſcorta exoleta commeare non horrent: hi incautos juvenes, & liberaliter eductos, in fraudes illiciunt, ad illicitas libidines, & aleam provocant. Unus illorum è *Coclitum*, ſeu m *Arimaſporum*, ut puto, proſapia, tribus aleæ n bolis me vicit, cum illi o *Hercules* baſilicus ſemper faverit, me quatuor p Voltorii perdiderunt; unâ enim nocte, quâ cum illo *Veneri* noctivigili, & aleæ operam

c Nummos inſumendos.
f Sacrificium matutinum.
g Figere.
h Nuptis.
i Divites profuſi ſcortatores.
k Impudicas fœminas.
l Quæ ceſſant oleſcere, i.e. creſcere.
m Unoculus, ut *Arimaſpi* alluſio in voce *Coclitum*.
n Jactibus.
o Fœlix aleæ jactus.
p Infœlix aleæ jactus.



operam dabam, univerſæ pecuniæ quam habebam tunc in crumena, & annuli ſignatorii, jacturam feci. NICOB. Si ego Magiſtratum gererem, ejuſmodi Lenones, qui ita q vorſare ſolent juvenes imperitos, eóſque citant libellis Venereis, r polluctos virgis, ſ inteſtabiles facerem. POLYM. Indigni reverà ſunt, qui apud viros bonos lingant ſalem; nullæ enim in Republica ſunt peſtes capitaliores t hibus: dolendum eſt permiſſum eſſe illis u antiſtari, aut x mancipes habere. Hæc urbs ſcatet talibus curculionibus; nam y heri, dum me reciperem z eſum ad præſepim meam, quidam, mihi prorsùs ignotus, in platea fit obviàm, cœpit nugas blatire, & a oblinire mihi os; Mi frater, inquit, b oculeiſſime, me ſequere, & te deducam in fanum *Cupidinis*, ubi pulcherrimæ *Veneres* adventum tuum præſtolantur. Mihi nunc c uſus eſt pecuniâ, largiri aliquantulum, & te beatum reddam: nè pigeat nummos aliquot effundere, ut Dearum colloquio & convivio intereſſe poſſis; nam qui vult eſſe nucem, nucleum frangat oportet. Ego ſtatim iratus, d Cujatis, inquam, es tu, e umbratice, cum f nocturnis tuis oculis? Túne meum

q Fraudare.
r Cumulatos & obrutos, ut *Herculis* ara ſacrificiis.
ſ Sine teſticulis, vel ſine teſtimonio.
t His.
u Teſtes ſumere.
x Fidei-juſſores.
y Heri.
z Irem domum ad cœnam.
a Deludere.
b Tàm chare quàm oculi mei.
c Opus eſt.
d Cujas.
e Homo nihili.
f Noctuæ.

* amare blandiloquentiâ tuâ ſolicitas, & me Venereis vadimoniis g convadaris? Hamum tuum aliis vorandum trade, nihil mihi cum ebriolis illis tuis h perſolis nugis: hactenus illis ſupplicium dedi fundi noſtri calamitatibus; aut ocyùs i exulatum abi, aut ſtatim hæc machæra k diſsicit tibi ambas auriculas: faciam ut formicæ te l fruſtulatim differant. Fuge, inquam, ocyùs, ſi nè vis ferre infortunium. Nicob. Quid ille intereà? Polym. Statim correptâ fugâ evanuit;

—— *pedibus timor addidit alas.*

Nicob. Laudo ſanè fortitudinem tuam; dignus es non Centurionis, ſed Imperatoris titulo, qui tibi ipſi poſſis imperare. Puer. Here, m halophanta quidam pro foribus te conventum velit; onuſtus eſt vulſellis, n excutiis, radulis, odontagris, aliiſque id genus mercimoniis. Nic. Non eſt ille halophanta, ſed ſycophanta circumforaneus: Jube * bitet ad Tonſores cum mercibus ſuis, aut ſi cibis conventis opus eſt ejus dentibus, recipiat ſe ad cauponem; nihil mihi cum illo. Pol. Puto me ſcire hominem; eſt illi uxor læna bibaciſsima. Nicob. Ipſa eſt mare ſanè potius, quod fluvium quemvis recipit, aut o quadrantal: illi una vindemia

mia

* Meum amorem.
g Datis vadibus, cogis me in judicio ſiſtere.
h Nugatricibus ebrioſis.
i Aufuge.
k Diſsecat.
l Fruſtatim auferant.
m Qui mare oſtendit, i. e. Nauta.
n Scopis, quibus pulvis excutitur.
* Eat.
o Amphora capiens ſextarios 48.



mia non ſatis eſt. Pol. Audio eam eſſe inſignem athletam, quæ mariti ſui coſtas & humeros incurſare ſoleat nonnunquam fuſtibus. Nicob. *Pentheſaleam* alteram mihi narras: mittenda eſt in regionem p Unomammiam, ad ſorores Amazonidas; & delicatum, mollémque ejus maritum dignum cenſeo qui accubet cum q catello, ſed ferreo. Polym. Si mihi talis eſſet uxor, ego non r memet aſſererem manu causâ liberali, ſed illam probè exoſſarem, aut Lictori ſ mancipio darem. Puer. Hera te ad cœnam vocat. Nicob. Accedo: Placétne, mi *Polymache*, noſtræ intereſſe t ſportulæ? Polym. rem gratam mihi facturus es. Polym. Habeo gratiam, hactenùs cœnatus ſum; abundè meo genio ſatisfeci, non reliqui in ventre locum vel uni cellæ. Nicob. Igitur vale. Pol. Tu quoq; vale, & ſalve.

p Quod alteram mammam amputârent.
q Intelligo catenam, non catulum.
r Non vindicarem libertatem in judicio.
ſ Damus id mancipio, cujus habemus dominium.
t In ſportulis portabantur edulia, hinc cœnæ tenuibus datæ, ſportulæ dictæ.

## Col. VI.

### E Casina.

*Paleſtra.* } Mulieres.
*Erotium.* }

Poſtquàm meus vir abiit in a communem locum, halcidonia ſunt in ædibus; nam, dum vixit, cœlo tonantem crediſſes

a Sepulchrū.

credidiſſes *Jovem*: ídque mediâ nocte ſæpe, cum amori indulgendum fuit, aut ſomno quieſcendum, debacchabatur in me ſævis verbis, aut [b] multabat me. Infœlix eſt illa *Juno*, cui contigit nubere tàm irato *Jovi*. EROT. Ergo video humanos Joves [c] moriri poſſe; ſed tuus maritus adeóne totus fuit [d] in fermento tibi? PAL. Maritum vocas? Præſtat [e] populnum, aut abiegnum habere maritum, quàm talem: ſi diutiùs vixiſſet, ego me in laqueum induiſſem; nam nulla penè dies fuit, in qua flagris me non implebat: aggerundâ aquâ curvam (ut vides) reddidit, ut jam poſtilena poſſit ex me fieri; nunquam audebam illum alloqui porrectiore fronte, neque, cum urgebar neceſſitate, poteram illi extorquere vel numellum, ad emenda ea quæ mihi erant opus: ſi fortè quid rogâſſem, ſtatim me feriebat vel porrectâ palmâ, vel [f] compreſſâ. EROT. Certè, talem maritum [g] non emiſſim titivilitio, ſi fuit ut tu eum depingis: ſed fortaſſe malis tuis moribus, aut garrulitate, ejus iram provocabas; nam quædam uxores adeo [h] tinniunt, & lingulacæ ſunt, ut cogantur ſæpe mariti, alioqui non moroſi, [i] ſe ſuffiare illis. Quædam verò cum

b Verberabat.
c Mori.
d Turgidus, & iratus.
e Populneum, abiegineum.
f Pugno.
g Non emerim floccis putridis.
h Loquaces.
i Iraſci, quaſi vento turgidi.



cum domiportæ eſſe debeant, & cochleæ vitam agere, nihil aliud quàm catillant, ſeu, ut planiùs dicam, per alienas domos circumeunt more catellorum: Hinc contrahuntur * litigia; imò, quædam tàm à verecundia alienæ ſunt, ut cum ſobriæ & [k] invineæ eſſe debeant, nihilominus [l] miraclo flore Lybico ſeſe percutiunt: hinc, ſæpenumerò, pudicitiam habent in propatulo, &, more Matris * *Acedaliæ*, furtivo concubitu, ſe *Marti* pro *Vulcano* ſupponunt; & pleræque ferè omnes ſuperbiæ, & luxui deditæ ſumus. Quis feret uxorem his moribus? PALEST. Si horum criminum fuiſſem rea, aut in [m] noxia manifeſtò detenta, ſi unquam me alteri [n] ſubicitavi viro, ſi *Bacchus* unquam mihi fuit [o] voluptas, ſi unquam clàm [p] maritum in publicum prodii, ſi unquam verbum malum illi feci, etiam tunc cum ſolea, vel [q] ſculponeâ batuaret mihi os; non recuſarem [r] ferre canem, aut virgis calefactari, ut, [ſ] litterata incedens, [t] in ridiculum ſim: ſed illi in rebus omnibus fui morigera; conata, quantum in me fuit, illum ad [u] compendium ponere. Aliæ mulieres obſonatu delectantur, & cœnis [x] ebriis; illis unguenta [y] dolent; ſtertunt aliquando quintâ

* Lites contrahuntur.
k Abſtemiæ, verbum Apulæianum.
l Meracior, Vino Lybiæ Mariotico inebriantur.
* Veneris.
m In peccato.
n Subjeci.
o Voluptati.
p Clàm marito.
q Calceo ruſtico verberaret.
r Catenam.
ſ Quaſi literis inſcripta.
t Pro ridiculo.
u Lucrifacere.
x Lautis, & opiparis.
y Olent.

*——— quintâ dum linea tangitur umbrâ,*
*—— indomitum quod deſpumare Falernum*
*Sufficiat, ——*

& z ſutelis ſuis maritis argentum vel extorquent, vel furantur, ut bene a excuratæ niteant, cum mihi ſæpe inteſtina inanitate murmurarent; maritus enim meus, quaſi ex ſterquilinio fuiſſet effoſſus, more lumbrici, terram b edebat, ervum, herbas, & radices, quæ nec ſtomacho ſalubria, nec palato meo grata fuerunt: quare coacta fui pluſculas noctes agere inſomnes, ut parcè ac duriter degens, è lanâ & telâ victum quæritarem; ſeu, ut ille ait, ut tolerarem

*——— colo vitam, tenuiq; Minervâ:*

ita ut ſæpe ſopor c manus calvebatur. EROT. Gratiam habeo ſuperis, quæ nacta ſum maritum tam probum & honeſtum, quíque me in modum d germanum amat, nec permittit quidquam e deliquium eſſe mihi: nunquam me alloquitur, niſi f patricè; nunquam aures meæ uſurpant alium ſonitum ex ejus ore erga me, niſi, Meum g melculum, Meum verculum, Mea h mulſa: ſi quando illum iratum ſervis offendo, navim in i pulvinarium ſubduco, & me extra periculum recipio, donec ira ſubſidat, & tempeſtas

z Dolis.
a Curatæ.
b Leguminis genus.
c Decepit manus, i. radius, ſeu colus manu excidit.
d Verè.
e Quidquam deeſſe.
f Amanter.
g Diminutiva à vere, & melle.
h Inſtar mulſæ, ſeu mulſi.
i In portum.



tempeſtas ſedata fuerit, adeò ut nulla unquam ſit inter nos k poſtulatio: decet enim prudentem uxorem, irato marito, imitari l nepam, & m receſsim cedere; non verò addere oleum camino, ut multæ imprudentes ſolent, quæ maritos ſatis inſanientes ſuâ ſponte, importunâ & odioſâ loquacitate inſtigant magis, adeò ut à verbis ad verbera ſæpe res procedat: hinc ſcapularum ſalus periclitatur; hinc tot viri queruntur ſe n ad mulieres ſuas non poſſe obtinere jus ſuum; hinc videmus tot uxores o progrediri p ore obtunſo, aut fieri ſtimulorum q loculos. Horrendum eſt auditu, vel r iteratu, quantum uxores quædam maritos ſuos ad inſaniam provocent odioſis nomenclaturis. Quis enim æquo animo feret audire ab uxore ſuâ, ſ ACHERONTIS PABULUM, NEQUITIÆ STABULUM, CANA t CULEX, VETUS u VERVEX, x HIRCE EDENTULE, & ejuſmodi odioſis inſigniri titulis? quin etiam imprecationibus ſuos conjuges devovent: Quàm vellem (inquit una) te videre y ardentem extra portam Metiam? Precor (inquit altera) ut emungare z oculos per na-

k Expoſtulatio.
l Cancrum, aut ſcorpionem.
m Retrocedere.
n Apud.
o Progredi.
p Ore pugnis obtuſo.
q Cujus corpus ſtimulis fodiitur.
r Dictu.
ſ Quo orcus paſcitur.
t Odioſe ſenex.
u Senex Veneri ineptus.
x Senex libidinoſe.
y Sepultum illac cadavera efferebantur comburenda, & malefici ſupplicio afficiendi.
z Oculis, Helleniſmus.

ſum:

ſum: An putas hæc non eſſe viris [a] di-
vidiæ? Mallent quoquovorsùm [b] tra-
gulam hanc decidere, quàm cum talibus
vivere. Hinc quidam, etiam ſenectâ æta-
te, unguentari & [c] luſtrari malint; aut,
quod pejus eſt, juvenibus veſicas [d] effo-
dere. Alii ſunt, qui, cum talibus [e] pro-
tollere, aut producere mortem nequeunt,
[f] canina ſcæva iis gratior quàm talis
uxor. Hinc unus non ita pridem, qui,
cum [g] candidatus eſſet, uxorem deperi-
bat; at ante menſem finitum reſtim
[h] ſumptifecit, & [i] ſe dierectum fecit. Al-
terum novi qui ducere ſolebat [k] ſentes
ſub ſigno, hic aſsiduis uxoris jurgis pro-
vocatus, & tàm petulantis linguæ impa-
tiens, cúmque omnis [l] ſpecula decol-
lâſſet frænandi tàm impotentem bellu-
am, & cicurandi, gladium ſuum fecit ſi-
bi culcitram, [m] eúmque incubuit. PAL.
Ego ſanè mallem in furnum calidum
condi, & torreri pro pane rubido, quàm
marito, quamvis nihili (ſi iterum vitali
veſceretur aurâ) occaſionem præbere vel
[n] mœciſſandi, vel ſe occidendi; tunc e-
nim [o] ſpecimen ſpecitur an ſis imago
amici, ſi contumelias ejus æquo animo
feras, ſi pro maledictis benedicta retor-
queas, ſi ferocientem ſuavitate ſermonis
mulceas,

[a] Triſtitiam, & diſcordiam
[b] Telum exſcindere, vel depellere, i. e. moleſtiam.
[c] Scortari.
[d] Abuti maſculis.
[e] Proferre, id eſt, vivere.
[f] Caninus rictus, & occurſus.
[g] Sponſus.
[h] In reſtim ſumptus fecit.
[i] Suſpendit.
[k] Id eſt, milites qui rapiunt, lacerántque omnia.
[l] Spes deſtituiſſet.
[m] In eum.
[n] Mœchandi.
[o] Specimen das veri amoris.



mulceas, aut ſi manum ori [p] oblexis,
id eſt, tempeſtivo ſilentio linguam tuam
compeſcas: hæc [q] ſi effexis, de ſemita
in viam regredi facies, & duos apros in
uno ſaltu capies. EROT. [r] Ediſſerta i-
gitur quare his artibus non flexiſti
mariti animum, & ad amorem tui non
pertraxiſti, cum fueras [ſ] valentula, & æ-
tate integra, & in amatoriis illecebris
[t] potior pollentia: tibi cutis eſt nebulâ
mollior, capilli tui nodulo potes cujuſ-
vis, quamvis ferociſsimi, ſpiritum vin-
cire. Quis non ſorbillantibus ſuaviis tre-
mulas illas oculorum tuorum ſtellulas
ſitienter hauriret, * ſi amaſsis, aut oc-
cepſis quem amare? Quis tàm ſapiens
eſt, ut os tuum pulchrum poſsit † per-
cidere, aut oppugnare iſtis tuis micanti-
bus oculis, & rubentibus bucculis, & re-
nidentibus crinibus, & flagrantibus pa-
pillis, & hiantibus oſculis? Poſſis vel
ipſum *Catonem* in ſervilem modum addi-
ctum, atq; mancipatum tenere volentem.
PAL. Fateor, ſi nupſiſſem homini: ſed vi-
rum meum genuit —— *cautibus horrens*
*Caucaſus, Hyrcanæq; admorant ubera tigres*;
Ejus amor degeneravit in zelotypi-
am, & mox in furorem & odium: cum
me ambiret, ſolitus fuit collo meo amba-
bus

[p] Objicias.
[q] Effeceris.
[r] Ediſcere; eloquere.
[ſ] Valida.
[t] Præpolleas.
* Si amaveris, aut inceperis.
† Tundere.

bus manibus implexus oſculo excipere, oſculo demittere; & fateri, cum me tangeret, ſibi mel lingere videri: quoties mihi u inſtitit plantam, amplectebatur & ſuaviabat vulpinaris amaſio; ſed poſtquàm illi nupſi, & mores ejus x Maſsilienſes modeſtè reprehendi, cor illi y lienoſum eſſe cœpit, & z de labore pectus tundere; mox veſtes laceravit, & me a expoſivit cubito; exuit me laciniis omnibus, & nudam foribus ejecit; neque veniam b proſperare voluit, ut ſæpirem veſte id c qui ſumus, aut ſaltum d obſæptum haberem, donec vicini mei miſerti accurrentes effringerent fores, & illi præſens exitium minitarentur, niſi me iterum uxoris loco haberet. ERO. Quid ille interea? Nonnè & pudore erubuit, & metu diriguit? PAL. Ille veritus nè e vorſis gladiis dimicarent pro me, & quod corculum ejus f aſſudâſſit metu, rogavit ſcutigerulum, qui illi lumbifragium minatus eſt, ut manus abſtineret, & ſe recepturum me in gratiam: g ſed inſignitè commentatus eſt, me corporis mei uſuram aliis dediſſe, furacem eſſe, cum non deceat probam habere quid h peculi: præterea, inſignem eſſe me i eſtricem mentiebatur, & k corbitam cibi

u Pedem preſſit.
x Molles.
y Inſtar lienis turgidi ſaliebat, & turbabat virum.
z Ob laborem.
a Excuſſit.
b Concedere.
c Ut tegerem muliebria, quibus dignoſcimur à viris.
d Unguen piloſum.
e Omni contentione.
f Quod alſerit, Antiphraſis.
g Inſigniter cōmentus eſt.
h Quid peculiare.
i Edonem, ſeu lurconem.
k Navim onerariam.



cibi comeſſe poſſe: At vicini, quibus vitæ meæ integritas fuit nota, non habuerunt ei fidem; ſed, indignantes, coëgerunt illum culpam ſuam tandem agnoſcere, & mihi reconciliari. Sed quàm inhumaniter me poſteà exceperit & tractarit, non eſt nunc operæ l narrare: toto quinquenio quo ſecum poſt illa vixi, nunquam mihi ſuppeditavit vel numum plumbeum peculi: quare quàm m impercè & duriter mihi vivendum fuit, potes facilè conjicere. EROT. Ego plus ſatis tuarum ærumnarum audivi; puto cor mihi n delecuiſse hæc audiendo, neque poſſum temperare à lachrymis; Dii te valdè infœlicitârunt in tali viro, qui merebatur ut ei ſupponeretur hircus unctus nautea, non uxor quæ munditie, formæ venuſtate, & bonis moribus alias longè o antideat. Sed vir meus p amiſit domum nuncium, qui mihi narraret ſe convivas aliquot in cœnam vocâſſe; quare q inibitur, nè fortè r fritgutiat, ſi cœnam imparatam invenerit.

l Operæ precium.
m Parcè.
n Liquefactum eſſe.
o Superat.
p Miſit.
q Introibo.
r Cum ſono ſubſiliat, exclamet, & iraſcatur.

# COL. VII.

## E CISTELLARIA.

*Threnius. Paramythius.*

CUr ego te, *Threni*, tàm ſqualidum conſpicor, qui alios [a] antedire munditie ſolebas? THR. Immundas fortunas æquum eſt ſqualorem ſequi. PARAM. Quid, num incendio, vel naufragio, vel quovis alio infortunio rerum tuarum feciſti jacturam, quòd tàm altè ducis ſuſpiria? THREN. Hei mihi! utinàm hîc eſſet rupes unde me poſſem dare præcipitem. PARAM. Quæſo nè ſis tàm [b] immemorabilis, neque tàm abhorreat à te hilaritudo; nam lachrymis tuis mihi [c] excercitum imperas. THR. Eſt mihi cordolium, pectus cæco carpitur igne; nemo eſt qui poteſt, ſi vellet, aquam frigidam [d] ſuffundere, tot anxietates cor meum [e] eunt depreſſum. PAR. [f] Obſiparem aquulam ſuadelâ meâ, ſi mihi monſtrares doloris illud incendium, quod animum tuum corripuit. THREN. Non omnes Dii [g] patellarii, non [h] Medioxumi, non Supremi, mihi poſſunt

[a] Anteire.

[b] Tàm difficilis ad memorandum: eſt hîc Activũ.

[c] Me exerces, & fatigas.

[d] Juvare.

[e] Deprimunt.

[f] Animum amiſſum reddere mea eloquentiâ. Sipare eſt jacere, hinc diſsipare. Animo deficientes ſpargimus aquâ.

[g] Minuti qui patellis, non pateris culti.

[h] Medii, ſeu Dæmones.



opem ferre; dolor, inſtar convolvuli vermiculi, qui ſe implicat intortum Pampini foliis, cor meum exedit; damnificam hanc beſtiam ſola mora interimit, nullus enim dolor eſt quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat: quare jam, quæſo, me miſſum facito, nam hoc tempore [i] tui nullarum rerum indigeo. PAR. Cur me tibi amicum [k] creviſti, ſi non vis amico tuo, cum opus eſt, uti? Amico periclitanti non ferre opem, eſt amicitiæ teſſeram frangere: amara mihi [l] oggeris, cùm meam opem nihil penſi habeas: amicus alter idem eſt; quare, nè cælandi pertinaciâ doloris cauſam, in me etiam mœrorem rapias, profer in linguam quod pectore penitiſsimo occultâſti, & triſtitiæ cauſam quam feciſti [m] ſepelibilem: Oſtende morbum, adeſt medicina. THREN. Largiloquus es, & me verbis tuis conteris; [n] confragoſum quæris. Immanis ille *Promethei* vultur, relicto *Caucaſo*, ad me tranſvolavit, jámque ſub alto pectore habitat, & jecur meum adunco roſtro tundit. Utinàm hoc [o] lumen jam linquerem. PARAM. Ipsâ inſcitiâ eris [p] inſcitior, niſi vulturem oſtendas, uno vel altero conficiam jaculo. An ad iſtam [q] faciem

[i] In nulla re.

[k] Decreviſti.

[l] Aggeris.

[m] Corde occultatam.

[n] Saxoſum, difficile.

[o] Jam morirer.

[p] Stultior.

q faciem ſemper ales morbum tuum ? THREN. Importunitate tuâ me r delenis : An ſ completus es flore *Liberi* ? Certè, niſi deſiſtas mihi moleſtus eſſe, coges me t perfugium pedibus parere. PAR. Fuge quò voles, ſequar, & tibi u frequentabo : ego adhuc jejunus ſum, neque *Dionyſium* hodiè ſalutavi ; neque vinum contingere ſoleo niſi * infuſcatum. Quomodo hæc x mens animi tibi ineſt, ut me putes y ſaburratum, & ſic ſine cauſa culpites ? Itáne amicos tuos z vorſare ſoles ? Mallem ut a peculatum in me faceres, aut, ut diceres, imminuiſſe pudicitiam, quàm me vinolentiæ accuſares ; quum ſoleam ſobrietatem aliis virtutibus b prævorti : non credebam te dicturum tàm c ſeverum, aut crediturum me tuæ triſtitiæ cauſas rimari, ut d lubens ſim tuo malo. THREN. Ignoſcas, quæſo, temerario ſermoni qui e ingratiis mihi excidit ; ſi f intellexes quot quantíſque cruciabilitatibus animi torquear, non mihi, ſed doloris impatientiæ, hunc linguæ lapſum adſcriberes : verum ne plus negotii vel tibi vel mihi faceſſam, cum quinto vel ſexto g pedatu jam cauſam mei doloris rogaveris, dicam uno verbo quid ſit quod me malè habet : Miſer, in amoris rota

q Ad iſtum modum.
r Inſanum reddis.
ſ An vino inebriatus es ?
t Aufugere.
u Tecum frequenter ero.
* Aquâ dilutum.
x Cogitatio.
y Cibo vel vino repletum
z Tractare.
a Pecuniæ publicæ furtum.
b Præponere
c Tàm crudele quid.
d Ut læter.
e Invitò.
f Intellexiſſes.
g Id eſt, 5ta. vel 6ta. vice; id eſt toties. Pedatus à peda, humani pedis veſtigio.



rota verſor. PARAM. Quid audio ? An muſtulatus aliquis h æſtus nares tuas attigerat, ut i adhinnires equulam, quæ te faſtidivit, & calcibus tibi inſultavit ? vel, ut apertiùs loquar, An *Thaïs* illa quam amabas, te rejecto, cum k quiquam alteri viro conſuevit ? THREN. Bona verba : non meretricius, ſed caſtus amor me torquet ; duos enim candidiſsimos amicos immaturâ morte ereptos defleo. PARAM. Fateor nullum eſſe dolorem huic parem, qui naſcitur ex deſiderio veri amici immaturo letho prærepti. Sed quo caſu hoc accidit ? THREN. Alter, lapſu tecti, dum l inquiniſceret ad faciendum puerile officium, miſerè ſuffocatus eſt ; alter, dum in æſtu dici natabat in flumine, vel ſpaſmo correptus, vel aquæ vertigine abſorptus, ſubitò exſpiravit. Quidam notus qui hâc m primo luci iter n inſtitit, narravit mihi o ambo occidiſſe ; ſéque è p conſpicillo vidiſſe amicum meum, fruſtrà auxilium implorantem, aquarum gurgite immerſum. PARAM. Reliquerúntne uxores & liberos ? THR. Unus eorum cœlebs vixit ; alter tres uxores duxerat, quarum q medixuma in luculentam familiam collocata, fecit maritum —— *ſeptenâ prole parentem.* Hæc juvencula

h Odor.
i Ad equam.
k Cum quodam alio conſuetudinem habuit.
l Dum ſe inclinaret ad exonerandum ventrem.
m Primâ luce
n Hâc ibat.
o Ambos.
p E loco unde conſpicere poſſumus.
q Inedia.

juvencula quam proximè duxit, jam gravida eſt; præ dolore vereor nè abortum faciat: certè nunquam ætate [r] *Hecale* ſiet. PAR. Æquo animo feras oportet,

[r] Nunquam anus fiet.

*Quicquid corrigere eſt nefas;*

lachrymæ tibi volvuntur inanes: non hoc dico quòd damnem in totum affectum tuum, (homo enim es humani à te nihil alienum puto)

*Sed quòd te nolim nimiùm*
*indulgere dolori.*

Nec ſicci ſint oculi, nec fluant: quicquid amicis tuis contigit, hoc omnibus; hoc Patri tuo contigit, hoc Avo, hoc Majoribus; hoc omnibus ante te, hoc omnibus poſt te; nullum ſine exitu iter: ad unam metam properamus omnes; quidam gradu diducto, quidam ſpiſſo, ſeu tardo & formicino: utcunque

*Omnes eôdem cogimur, omnium*
*Verſatur urna; ſeriùs, ocyùs*
*Sors exitura, & nos in æternum*
*Exilium impoſitura cymbæ.*

Nè invideas fœlicitati amicorum tuorum; non amiſsi ſunt, ſed emiſſi ex hujus corporis ergaſtulo, & in concilium cœtúmque animarum profecti: quod in illis dilexiſti, adhuc vivit, nempe anima; ſi virtutem amâſti, ea non interiit: non frueris



frueris eorum præſentiâ, at recordatione non minùs jucundâ potes te oblectari: illi amici te reliquerunt, alii ſuccedent, fortaſſis non minùs jucundi quàm hi; neque tu ſolus es, qui amicos amiſiſti; *David Jonathanem*, *Hero Leandrum*, *Nyſus Euryalum*, immaturâ morte amiſerunt: Propterea dolori tuo frænos injice, præſertim cum mors nullis movetur

*Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit:*

*Non ſi tricenis quotquot eunt dies,*
*Amice, places illachrymabilem*
Plutona *tauris*. ——

## COL. VIII.

### EX EPIDICO.

*Neſtorius. Polygamus.*

QUis hic qui pauxillatim ad nos accedit pedibus [a] pulmoneis? Caperat frons ſeveritudine: Puto *Polygamum* eſſe, vicinum noſtrum; adibo, & orationis [b] aciem conferam. [c] Salvâ ſalute impertit *Polygamum* ſuum *Neſtorius*: Ut vales? POLYG. Non athleticè, aut pugilicè. NEST. Quî ſit? POL. Quia [d] baſilicè interii; nam ære alieno obrutus

[a] Mollibus, id eſt, tardè incedit.

[b] Colloquar.

[c] Summâ.

[d] Egregiè funditùs.

tus ſum, nec ſcio unde argentum e elocem, ut f Daniſtis ſatisfaciam. NEST. Certè malim in furno mergi, quàm in g foro. POLYG. Rectè; nam ego mihi videor ſemimortuus: Qui enim nuper h cluebam Senati columen, qui in honoris faſtigio collocatus eram, quid jam aliud ſum quàm i damnoſus & k deſioccatus ſenex, & reverà l graviſtellus? Nemo eſt jam meorum Paraſitorum qui m imbitit meam domum, cum videant nihil ſupereſſe quod n pappent: meorum autem æqualium vix ullus eſt oratione beneficus; ad rem autem, eorum auxilium prorsùs emortuum eſt, qui tamen in ſecundis meis, ſummo honore proſequebantur. NESTOR. Velum vortitur ut in alto ventus eſt; variantur hominum affectus ſecundùm diverſum fortunæ flatum. POLYG. Sed expeteſſo conſilium à te, quomodo nomen liberabo, cum in o multis ſententiis poſitus ſim; nam non minùs miſer eſt homo ære oppreſſus alieno, quàm qui p hoſtium eſt potitus. Mihi q uſus eſt pecuniâ, oſtende unde poſſem acquirere. NEST. Ego pòl nec conſilii copiam, nec auxilii habeo. Non eſt r malleus ſapientior manubrio; jam nimis ſerò flagitas conſilium,

e E quo loco eram.
f Trapezitis fœnoratoribus.
g Ære alieno obrui.
h Audiebam, dicebar columen Senatus.
i Damna qui paſſus ſum.
k Detritus ſine floccis.
l Terræ pondus.
m Intrat. *Bito, is.* (antiquum) id eſt, *Eo.*
n Edant.
o Damnis, nam Judicum ſententiis, dãnati damnis augebantur.
p In hoſtium poteſtatem venit.
q Opus eſt.
r *Neuter altero prudentior,* Proverbium.



um, cum s plauſtrum perculiſti, & domo argentum omne t egurgitaſti. POL. Attamen ſi reſtet apud te guttula, pectus hoc, quæſo, ardens aſperge, & ſolare inopem; eris mihi u obnoxioſus. NEST. Ego planè quid dicam neſcio; Aliter catuli longè olent, aliter ſues; alii longè expeditiores ſunt aliis in comparandâ re: ego paulò tardior ſum, neque calleo artes illas, quibus quidam ſubitò diteſcunt. Vides quoſdam non ita pridèm nudiores *Liberide*, jam magnas opes x indemptos eſſe arte duellicâ. Alii ſunt qui centones ſarciunt, id eſt, mendacia conſuta venditant. Quidam y verſutiores ſunt quàm ulla rota figularis, z permeditati malis dolis, qui a tenebras popello credulo trudunt, profitentes Chiromantiam, quoſdam fatuos prædictionibus amplæ fortunæ b articulatim concidunt, & quaſi c mucidos emungunt. Vidéſne juvenem illum qui jam d præterbitit templum, qui chlamydem quaſſando e undantem facit? Iſte non ita dudùm debebat animam, & nihil aliud quàm carcerem & f copulas metuebat; jam incedit holoſericatus, anellos geſtat aureos & g lunulas; nunquam illi deeſt aurum quod circumductat h peratum aut follutum.

s Rem contriſti, Prover.
t Effudiſti.
u Me reddes tibi obnoxium.
x Adeptos.
y Vafriores.
z Exercitati.
a Palliant.
b In fruſta comminuunt, id eſt, petfundunt.
c Infantes & ſtultos, quorum aures mucore pleni ſunt, compilant.
d Præterit.
e Agitat, ut ventus undam.
f Vincula.
g Gemmas lunam referentes.
h In pera, ſeu culeo ſervatum, aut in folle.

lutum. POLYG. Hominem mihi narras minimè i murcidum : Sed quibus technis uſus eſt, ut tantas opes compararet? Fortaſſe k perenticida eſt; divitias amo honeſtè partas, non illas quas cum l flagitio cogar reddere. Non cupio mihi aures eradicari, aut ab *Apelle* aliquo & *Zeuxe* corium pigmentis ulmeis pingi. Nolo m furtificus eſſe, nè fortè mihi corium n degatur de tergo. Mallem cum o bardis oſtiatim mendicare, quàm malis artibus diteſcere, & p poſtideà loci plagis q irrigari, & piſtori tradi; qui, ſine meo ſumptu, r ſymbolas parabit ſcapulis. Vidi nudius tertius in foro miſeram quendam Crumeniſecam apprehenſum, cujus tergum, ab ſ unguiculo ad capillum, totum factum eſt cicatricoſum. Præſtat inanem t melinam habere, aut u vidulum, quàm x piacularis fieri: nunquam hoc periculum y accedam. NESTOR. Non eſt quod verearis; ego non minus quàm tu, ab iſtiuſmodi inhoneſtis artibus abhorreo, quibus quidam, veluti machinis bellicis, *Plutonem* oppugnant & expugnant; neque hic, de quo loquimur, juvenis ullo malo artificio (quod ſciam) opes ſuas adeptus eſt; hæc ſuſpicio te

z abſcedat:

i Deſidioſum.
k Qui peras ſcindit.
l Cum dedecore.
m Fur.
n Detrahatur.
o Ingenio tardis.
p Poſteà.
q Cædi, & in piſtrinum dari.
r Plagas, ſymbolæ ſunt pecuniæ collectæ in cœnam.
ſ A calce ad caput.
t Pellem melis animalis, cineritii coloris.
u Manticam ſcorteam.
x Cædi, inſtar victimæ.
y Adibo.



z abſcedat: Cave, a ſiris quidquam tale tibi in mentem venire; hoc ſolum accepi à b Scutorio, vicino noſtro, quòd hic jnvenis, importunitate, & verborum lenociniis, pellexerat opulentam viduam in ſui amorem; neque deſtitit inſtare verbis, & c miſſiculare literas, donec voti compos factus eſt; & d ave ſiniſtrâ matronam cum luculenta e pecunia maritali nactus. POL. Ille eſt—*gallinæ filius albæ*, cui contigit tàm f liquidum auſpicium: fortaſſe uſus eſt philtro aliquo, aut pecunia ſibi viam fecit per pediſequas (aurum enim perrupit turrim aheneam) & in ipſius *Danaes* ſinum illapſum *Jovi* reſeravit pudoris clauſtra; qui per voluptatem g obſevit gravem in virgine ærumnam:

*Aurum per medios ire Satellites,*
*Et perrumpere amat caſtra potentiùs*
*Ictu fulmineo:* — Quid mirum igitur ſi pudicitiam ſexûs imbecillis h perculit? NES. i Quid blatis? k divortunt mores virgini ac lupæ. Quaſdam novi adeò modeſtas & pudicas, ut

—*ipſe* Theti *prognatus* Achilles

non poſſit eas expugnare: Aliæ ſunt ſuæ pudicitiæ tàm prodigæ, ut non vereantur, exigui lucelli gratiâ, cuilibet viro l nubere. Quotidiè mihi duæ ſunt filiæ

nubiles

z A te diſcedat.
a Siveris.
b Scutorum fabro.
c Literas frequenter mittere.
d Bono auſpicio. Siniſtra, à *ſinendo fieri*. Pars Orientalis mundi nobis eſt ſiniſtra.
e Dote.
f Clarum certum.
g Gravidam fecit.
h Proſtravit.
i Ineptè loqueris.
k Diverſi ſunt mores.
l Cum viro cubare.

nubiles domi, vultibus adeò modeſtis, moribus adeò pudicis, ut nihil ſuprà; hæ nullis (ſcio) machinis, cuniculis, obſidionibus ad deditionem cogi poſſunt. Nolunt falli m ſermonis blandi ullorum; ita educandas curavi, ita ſanctis præceptis inſtruxi, ita otium, luxuriem, ingluviem, & juvenes, n varias res impensè improbos, à meis ædibus arcui; ut mihi videantur pulchrè munitæ adversùs impetus & inſultus otioſorum juvenum, quibus civitas hæc abundat; hi enim vel philtris, vel blandis verbis, vel pecuniis o calidis, & p pretioſo pretio, virgines nobiles, liberaliter educatas, ad naufragium rei omnium pretioſiſſimæ ſtimulant & ſolicitant. POLYG. Mirum eſt Magiſtratus non q exonerare hos civitate. NEST. Digni reverà ſunt quos omnes viri boni calcibus r apobactizent, quóſque ulmi Paraſiti facti attondeant, ut ſolent menſas divitum Gnathones, ni ocyùs ſ abitant hinc: nam hoc genus hominum, moribus caprigenum, & veſtibus t pantherium, ſemper odi. Quàm liquido, & defæcato eſſem animo, quàm voluptabilis eſſet & jucundus nuncius, ſi quis mihi narraret ejectos eſſe ex urbe hujuſmodi amatores, cum nona-

m Decipi ſermone blando.
n Ad res.
o Præſentibus, & nuper acceptis.
p Summo.
q Non exonerare civitatem his: Hypallage.
r Summoveant.
ſ Abeant.
t Ob varios colores.



monariis ſuis meretriculis! POLYG. Macra equidem ſpes eſt hos ex urbe exigendos, quamdiu apud nos tot ſint viri primarii, qui

*——— talia verbis*
*Herculis invadunt, & de virtute loquuti,*
*Clunem agitant:* ———

cani nomen u nunc ademptum. Sed nolo hunc morbum diutiùs x attigere, nè fortè pro benefactis malam meſſem metam; nam præſtat incidere in *Vulcani* irati filios, qui quod tangunt amburunt, quàm in eos,

*Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia*
*vivunt.*

Sed, ut ad propoſitum redeam, lætum y fac ut fiat hunc diem; fac ut mihi z remigret animus, antequàm oculis tuis a conceſſero: edoce quibus honeſtis artibus queam tantum argenti conflare, ut me à captivitate trapeziticâ liberem, alioqui travolandum eſt mihi in longinquam aliquam regionem, aut in perpetuam ſervitutem eundum, ubi tergum meum emptorum libidini cogar ſubdere b ſuccedaneum: cum enim ſolvendo non ſim, non audeo me facere c vadimonium. d Miſereſco miſer ex animo, nec quid agam ſcio. NESTOR. Ego nullum ſanè

u Qui anteà canes, nunc lacones vocantur; i. e. Libidinoſi dicuntur graves.
x Attingere.
y Fac ut ſit lætus.
z Ut redeat.
a Diſceſſero.
b Cædar pro eorum libidine, hoſtia ſuccedanea quæ priori ſuccedit.
c Me ſiſtere in judicio.
d Valdè miſer evado.

ſanè præſentius remedium, ad pellendum morbum tuum, novi, quàm ut opulentam aliquam matronam tibi connubio jungas ſtabili. POLYG. Brevi abſolviſti: ſed hoc tuum conſilium me e incertat. Septem namque hactenus duxi uxores, quarum opera tantum abeſt, ut numatior evaſerim, quòd contrà, ad extremam redactus ſim pauperiem; me ſubigerunt f auctiones facere. NESTOR. Fateor tales eſſe quæ g exenterant maritorum marſupia, &, quaſi hirudines, exugunt ſanguinem; incedentes eorum fundis exornatæ, qui vel venduntur, vel oppignorantur, ut uxorum luxuriæ inſerviant: hinc eſt quòd cum h tributus imperatur, tot mariti negent poteſſe pendi. POLYG. Credo tales maritos libenter ſacrificare orco hoſtiis, ut liberentur citò ab hujuſmodi uxoribus. Mea ultima, quam nudiuſquintus i extuli, & k pu- dore exequutus ſum, Quàm prodiga in veſtibus fuerat? Liceat mihi tuæ l memoriæ interpretari, quando jam datur pauliſper m poſſidere tuas ferias: certè, dum vixit mecum, *Hercules* fui, nec ſexta ærumna *Herculi* acerbior, cum decertaret cum *Hypolita*. Si ſingulis menſibus non auxiſſem ejus mundum, novis & pretioſis

e Incertum reddit.

f Ut bona mea publicè vendam.

g Nummos auferunt.

h Tributum.

i Efferri dicebantur ad ſepulturam.

k Exequiis honoravi.

l In memoriam redigere.

m Tecum per otium feriari.



pretioſis veſtibus involaſſet in capillos, & effodiſſet mihi oculos: me redegit, ut vides, ad n mendiculam, ſuis induculis o regillis. Quid referam tibi veſtes ejus p impluviatas, tunicas q ralſtes ejus p impluviatas, tunicas q rallas, r linteola cæſitia, veſtes ſ patagiatas, t caltulas, & crocotiatas; u ſuppara, ſubucula, veſtes x ſubminias, y ricas, z baſilicas, a exoticas; b cumatilia, c plumatilia, d cerina, mellina? Sed nolo te turbare diutiùs his e gerris. NESTOR. Gratias debes agere Orco, quòd hanc f adempſerit: Ego uxorem habeo nec g graphicam, nec prodigam; quæ h ſolens geſtare veſtem i immutabilem, exemplum modeſtiæ & frugalitatis aliis præbet; domi ſe continet, rem domeſticam curat, munditiei ſtudet, & liberis honeſtè educandis tota incumbit, & ſervos meos ad fidem & taciturnitatem ſemper hortatur: hoc illis aſſiduè inculcans, *Plus ſcire ſatius eſt, quàm loqui ſervum hominem*. Quare ſis animo bono, omnes mulieres non ſunt

n Mendicorum veſtis.

o Veſtibus regiis.

p Quaſi guttis, aut ſtellicidiis plenas.

q Raras.

r Oris circumciſis.

ſ Quibus patagia, ſeu clavi aurei infigebantur.

t A calthæ, & croci colore.

u Veſtes erant lineæ, altera ſuperior, altera inferior.

x Subrubras, à colore minii.

y Sudaria, quibus Romano ritu, mulieres inter ſacrificandum caput velabant. z Regales. a Peregrinas. b Cæruleas veſtes à Κῦμα Græcè, *fluctus* eſt. c Quidam putant plumatile eſſe *veſtem clavatam*, Ego, *veſtem æſtivam*, puto fuiſſe, levem inſtar plumæ. d A ceræ, & mellis colore. e Nugis, gerræ propriè *crates vimineæ*. f Ademerit, id eſt, quòd mortua ſit. g Pictam. h More ſolito. i Veſtem immutatam.

ejuſdem

ejuſdem farinæ, nè metiare aliorum uxores ex tuis; potes tandem incidere in matronam, & piam, & divitem; quæ, fortaſſe, tuæ fortunæ miſerebitur. POLYG. Gratiam habeo, mi *Neſtori*, nam animum reddidiſti; volo conſilio tuo morem gerere, cum primùm domum rediero, jam enim mihi proficiſcendum eſt pedibus Romam, quæ hinc trigeſimo lapide diſtat: vereor nè laſſitudine [k] ſlemina me invadant in genua. NESTOR. Diverſare apud me hac nocte, & cras maturè tibi ſuppeditabo gradarium meum, qui te, ſex horarum ſpatio, facilè devehet in urbem. POLYG. Ego humanitatem hanc tuam libenter accipio; equus tuus diligenter in via tractabitur, & cum gratia [l] reddebitur, confecto itinere: hinc ergo [m] abſcedamus; te ſequar.

k Nè labore viæ ſluor ſanguinis ſiat.
l Reddetur.
m Diſcedamus.

## COL. IX.

### E BACCHIDE.

Pater, *Pampirus*. } { Filius, *Pamphilus*.

ADeſdum, *Pamphile*, ſta erecto corpore, nè me intuearis [a] limulis. PAMPHIL. En! adſum mi Pater, [b] aurium tibi operam dico. PAMPIR. An tibi [c] emeritum eſt ſtudendi tempus? An putas te exceſſiſſe ex [d] Magiſterio, vel ex ephæbis? PAMPHIL. Quid ita, mi Pater? PAMPIR. Quia hodiè non es expergefactus, priuſquàm clarum mane feneſtras intraret, & anguſtas diſtenderet lumine rimas. PAMPH. Matutino ſomno nihil eſt [e] inlecebroſius. PAMPIR. At nimio ſomno nihil eſt pernicioſius, corpus enim debilitat, & noxiis humoribus replet, & ipſum animum hebetat, redditque hominem non minùs inſipidum, quàm eſt fungus putidus: nolo te [f] malaciſſari; quid enim lectus aliud ſuadet quàm [g] malaciam? Metuas oportet lectum non minùs quàm [h] inlectum; nam

a Oculis tranſverſis.
b Auſculto.





c Exactum.
d Aſſumpſiſſe virilem togam.
e Plenius illecebrarum.
f Ut ſis mollis.
g Mollitiem.
h Illecebras.

—— *vitiis alimenta miniſtrat*
*Biclinium.* ——

Ipſe *Lycurgus* corrumperetur, ſi ſomno indulgeret; & *Thale* ſapientior, nimio ſopore [i] Potitio barbaro futurus eſt ſtultior. Si jam in adoleſcentia vivas [k] malacum in modum, ſi ſomno indulgeas, ſi tempus, rerum omnium precioſiſſimam, è manibus elabi ſinas ſine fructu; quid de te fiet, cùm matura adoleverit ætas? Inambulabis [l] odium terræ, ut [m] blennum & bucconem te omnes

i Antiquis ſacerdotibus; Nam antiqua, ſtulta dicebantur, ἀρχαϊκῶς, ſtultè.
k Molliter, delicatè.
l Inutile terræ pondus.
m Ut ſtultum & ſtupidum.

boni deſpicient; homo n nauci, & nihil eris. PAM. Rectè dicis, Pater; nam novi quoſdam, qui, cum eſſent mei condiſcipuli, adeò dediti erant ſomno, otio, & voluptatibus, ut libris raro incumberent, lectiones vix unquam o pellegerint; ſi quando Parentes ad eos argentum miſiſſent, ſtatim p illud abuſi ſunt in q orci januas, humanum ſanguinem ſorbentes, ſæpiùs r deſidiabula frequentabant, & lupanaria (ubi ſ dannis deſudaſcitur) quàm palæſtram literariam: nec t concurabant Præceptoris monita vel ſupplicia, ſed tandem eò devenerunt, ut omne u vereri perdiderint. PAMPIR. Cui periit pudor, illum ego periiſſe puto: Si mihi talis eſſes filius, non ſolùm aculeatis dictis animum fodicarem, ſed curarem ut fieres de mea pecunia x ramenta plumea propenſior. Præterea, virgis corium tibi redderem tam maculoſum, quàm eſt nutricis pallium. PAMPH. Certè, Pater, y accuratum habebo quod in me eſt, ut tibi obſequar, & ſtudiis bonarum artium dem operam; z antevortar tua mandata rebus aliis: mallem a colere regiones Acherunticas, quàm te b ciere ullis malis moribus, aut tibi eſſe c [illegible], ut quidam filii d cruci-

ſali

n Nihili, nullius precii, id quod in nuce oleæ eſt, dicitur naucus.
o Perlegerint.
p Illo, id eſt, conſumpſerunt
q In meretrices.
r Loca ad deſidiam.
ſ Deſudatur, certatur.
t Curabant.
u Verecundiam: Helleniſmus.
x Ramento plumeo gravior. Ramenta ſunt quæ raduntur à metallis.
y Totâ curâ incumbam, quantum in me eſt.
z Anteponam.
a Mori.
b Exagitare.
c Moleſtiæ.
d In crucem ſalientes.



ſali ſunt, quibus non pluris ſunt Parentum monita, quàm ſi ad ſepulchrum mortuo dicant jocum. PAMPIR. Tales filii, niſi maturè reſipiſcant, fient e dierecti. Novi enim complures qui Parentibus immorigeri & Præceptoribus, priuſquam latinè ſciant, pergræcare diſcunt; tunc f inſciti, capeſſunt ſe ad amores præcipites, hinc bona paterna g diſtimulant in h lutulentum aliquod cænum, & i pretioſas operarias: nec puditum eſt k factis quæ faciunt; ſic tandem evadunt omnium flagitiorum l geruli figuli, donec vel m capitis perdantur, vel n ferrati conterant ætatem. Noſtíne *Auriperdum*, vicini noſtri filium, qui olim fuit tuus condiſcipulus? PAMPHIL. Cur opere tanto o quæſis, Pater? PAM. Is p vadatus amore cujuſdam ſcorti, quod illum q extexuit omni ſuo auro, & emunxit, & ex homine fecit arietem *Phryxi*, quem totondit nummis uſque ad vivam cutem; jam miſer r addictus eſt. PAMPHIL. Memini contubernales noſtros olim irridere ſolitos *Auriperdum*, quòd captus tum fuerat amore cujuſdam ancillæ domeſticæ, à cujus amplexibus, vix verbis aut verberibus divelli potuit: Ipſe Præceptor ſemel of-

 fendit

e Suſpenſi.
f Stulti ſe præcipitant.
g Stimulo confodiunt, id eſt, diſſipant.
h In lupanar.
i Meretrices, quæ carè locant ſuas operas.
k Ob facta ſua
l Qui gerunt, & fingunt flagitia.
m Damnentur
n In ferreis vinculis.
o Rogas.
p Obligatus, quaſi datis vadibus: Paſſivè.
q Extexere, eſt telam textura, aut lanâ nudare.
r Addicti erant, & dati in poteſtatem creditorum, qui ſolvendo non erant.

fendit eum [f] accumbentem ſcortum. PAMPIR. An in illa ætate cor ejus amoris ſtimulo foſſum fuit? Æquius erat nates fodi ulmorum ſtimulis, quàm jecur telo *Cupidinis*: Si meus fuiſſet, tàm frictum reddidiſſem, quàm frictum eſt cicer, & versâſſem, ut coquus verſat piſces in ſartagine. Sed quomodo tractavit Præceptor [t] propudium illud? PAMPHIL. [u] Suffiatus extempulo fuit, & cor [x] acre aceto redditum; ſed quia illius Pater fuit intimâ neceſſitudine ipſi conjunctus, nolebat [y] turbas turbare, ſed diu factum cælavit, nè vulgò [z] diſpaleſceret; neque [a] loquitatus eſt malè, ſed per eum literas ad Patrem ſcripſit, de filio amoris viſco tacto; ſic *Auriperdum* fecit *Bellerophontem*. PAMPIR. Mirum eſt Ludi-magiſtrum non perforâſſe eum ſævis dictis, aut [b] terebrâſſe, nec verberibus in eum animadvertiſſe: Ego alterum tantum auri quantum ille inſumpſit & amiſit non [c] mæream, ut talem non caſtigem. PAM. Vix Pædagogus convaluit à morbo cum hoc accidit; ipſe, adhuc [d] vacivus virium, non audebat afflictare juvenem plenum ſanguinis: ſi pancraticè valuiſſet, non dimiſiſſet eum impunè. PAMPIR. Sed jam abundè luit ſupplicium ſuæ ſtultitiæ;

[f] Cum ſcorto.

[t] Impudicum illum, quaſi porrò pudendum.

[u] Iratus extemplo.

[x] Acerbatum injuriis.

[y] Atticiſmus.

[z] Divulgaretur.

[a] Maledixit.

[b] Moviſſe.

[c] Nolim in mercedem accipere, nè caſtigem.

[d] Imbecillis robuſtum.



titiæ; miſeram enim ſervit ſervitutem, in qua aſſiduè plagas patitur & inediam: cui quondam lepidè erat [e] victibus, jam jejunat: qui anteà tam opiparè vivebat, qui attagenis & phaſianis paſtus eſt, jam (credo) panem atrum [f] tris pedes latum comeſſe poteſt, ſi haberet: non audet [g] tres unos paſſus à piſtrino degredi, vix [h] forem aperire: it aliquando [i] uncto linteo expretus, quaſi lucernâ; quíq; peculium ſuum olim promptavit, non poteſt jam ſua mala [k] promptare pronum: Proinde, mi fili, ejus exemplo fuge luxuriem, ſomnum, & otium; nolo ut [l] comedis & congræces immodicè: ſi id jam in adoleſcentia [m] capſis, de te actum eſt: mallem te [n] exanimabilem. Fuge meretricios dolos, ſemper enim incautæ ætati [o] tendunt baliſtam lupæ; ſunt enim probri [p] perlecebræ & perſuaſtrices, quæque homines ſecuros [q] circumducunt pecuniis. Cave [r] amiſſis verecundiam, & bonam famam. Si otioſi juvenes te rogent ut lupanar, aut œnopolium frequentes, [ſ] negito: malim ut tales amicos inconcilies, id eſt, incites in iram, & inimicos reddas, quàm ut, eorum veſtigiis inſiſtens, pectus habeas meretricum incantamentis prægligatum, aut

[e] Epulis acceptus.

[f] Trium pedum latitudine

[g] Tres ſolos paſſus.

[h] Fores.

[i] Capite fracto & obligato, it expertus, id eſt, tentatus ſi bene luceat, propter oleum quo vulnus illinitur.

[k] Promere, id eſt, inſumere ſuas miſerias, qui inſumpſit pecunias.

[l] Ut edas, & inebrieris.

[m] Cœperis.

[n] Exanimatſi.

[o] Fallaciam ſtruunt.

[p] Ad probrſi illicientes, & perſuadentes.

[q] Circumveniunt.

[r] Amittas.

[ſ] Sæpe negato.

præoccupatum: ſunt enim ſcorta [t] exlecebræ; acerrimè, & æſtuosè abſorbent, quem tangunt. Dum turdus ab [u] tranſennâ lumbricum capit, capitur, & eſcâ decipitur. Non me latet quàm multi ſint juvenes [x] cincticulo non præcincti, qui non gerunt animum ſincerâ mente; quibus, arbitror, [y] parum fidei, qui ſunt [z] ſubleſtâ fide, immò falſi fallimoniis: intendunt [a] tenus ut bene moratos, & liberaliter educatos juvenes, trahant in conſortium ſuorum flagitiorum & ſuppliciorum: horum tu conſortium fuge. PAMPHIL. Faciam, mi Pater, quantum [b] poteſt: mallem me exhæredem vitæ meæ facias, quàm ut in tali conſortio deprehendas: Ingratus eſſem ſi tuis, & tam ſalubribus, præceptis non obtemperarem. PAMPIR. Ingrato nihil [c] impenſius: Cave nè ſis avaritiæ deditus, nè affectes compendium [d] haud optabile. Pecuniæ ſtudium, quaſi malis venenis imbutum, corpus animúmque virilem effeminat. Rem ſatis amplam tibi relicturus ſum; ſi quod te dignum eſt facis, faciam te [e] copem: nolo tamen ut opes tanto meo labore, induſtriâ, & frugalitate partas, in luxuriem & ſuperbiam profundas, ſicut ſolent ii, qui [f] ſoccis habent

t Vim habent illiciendi.
u Tranſenna, funis extentus, vel tendicula.
x Parvo cinctu, id eſt, diſcincti, diſſoluti.
y Habendum.
z Infirmâ fide & frivolâ.
a Tendiculam, vel arcûs extremum cornu, id eſt, fallaciam.
b Fieri poteſt.
c Injuſtius, deſpectius: Impenſa ſunt res viles, & parvi pretii.
d Lucrum incommodum.
e Copioſum, divitem.
f Soleas ſoccorum auro ſubſtratas.



bent auro ſuppactum ſolum, &, ſepti Gnathonum turbis, incedunt in viis ut ſolent Principes, qui non prodeunt abſque corporis [g] integumentis. Quàm malè multi juvenes [h] navem agitant, qui Paraſitis, & lupis auſcultant? Citiùs deerit luſciniolæ cantio, quàm talibus fucata oratio, quâ ſeſe inſinuant in juvenum incautorum conſortium, quos tandem, ut accipitres palumbem, eviſcerant: Cave nè horum [i] arundo alas verberet tuas; néve te illis [k] emancupes:

*Fronti nulla fides*, ——

nec linguæ; linguas enim habent multipatentes, quæ corpus vulgò publicant: non fuit [l] *Pelides* tormento Trojæ, prout illæ te expugnabunt; primò loculos tibi exhaurient, tunc [m] oppidò exſorbebunt animam; immò te [n] confoſſiorem reddent ſoricina nænia: quare vide horum memineris quæ nunc tibi præcipio, nam omnia hæc ſcire ſalus eſt adoleſcentis, neque [o] demoliberis culpam, ſi monita patris, *Pampiri*, negligas, & te è [p] ſtega in mare dederis præcipitem. Quot ego obſervavi juvenes qui nunquam [q] ſtatuerunt navem, donec naufragium & corporis, & rei familiaris fecerunt; donec creditoribus, in quorum ære

g Stipatoribus, ſatellitibus.
h Rem gerunt.
i Nè te capiant, ut aves viſcata arundo.
k Tradas.
l *Achilles* non æquè fuit tormentum.
m Occident ſtatim.
n Quàm inteſtinum ſoricis cum in muſcipula ſorex prehenditur.
o Demolieris, amovebis.
p Stega eſt navis tabulatum, in quo nautæ ambulant.
q Steterunt curſum.

ære fuerunt, Prætor daret [r] Recuperatores, & adhibiti ſunt ſenes coëmptionales in auctione vel emptione faciendâ illorum bonorum, quæ non illi, ſed parentes ſudore,& labore comparârunt? Da operam ut te agglutines bonis viris, & Deum timentibus, neque ſolus obambules, cùm tot ubique circumcurſitant nequam homines, nè fortè in eorum laqueos incidas; nam ovis [s] palitans prædæ fit lupis: ſed ante omnia Deum vereare, & quotidiè, priuſquàm [t] Sol illuxit domum, in nudis genibus illius te tutelæ commendes; nam niſi divinâ manu mænitus, pericula & infortunia effugere non potes. PAMPHIL. Aſperſiſti, Pater, aquam tam ſanctis & ſalubribus præceptis, nunquam avidiùs [u] lactem hauſi, quàm jam tua conſilia, quæ toto pectore imbibo. Nunquam, ut ſpero, [x] nuncius te tanget à me, qui arguet me degenerem, aut tuorum monitorum oblitum; ejus os non longè erit ab infortunio qui audebit me ſolicitare ad flagitia. Eſt quidam condiſcipulus mihi, ſed puer perditus, qui volebat me in œnopolium deducere, immò, invitum & ſæpe recuſantem cogere; certè, dentifrangibula hæc [y] geſtiebant meis manibus, & reverà,

[r] Tres judices qui de privatis negotiis pecuniariis judicabant.

[s] Errans à grege.

[t] Illuminavit: Activè.

[u] Lac.

[x] Rumor ad te perveniet.

[y] Pugni hi cupiebant comminuere dentes.



verà, niſi tandem deſtitiſſet, excuſsiſſem [z] nucifrangibula ex malis, niſi tres vetulæ [a] thymiama intervenissent & ſeparâſſent nos. PAMPIR. Laudo virtutem tuam: dubiò procul cum puer ille (qui tàm maturè potare diſcit) ad virilem pervenerit ætatem, futurus eſt reipublicæ inutile membrum: qui pro machæra turturem capiet, pro cæſtu cantharum, pro galea [b] ſcaphium; dignus cui pro inſigni ſit coralla [c] plectilis. Multi jam ſunt hâc tempeſtate milites, quibus pro haſta talus eſt, pro lorica pallium malacum, pro equo lectus, ſcortum pro ſcuto: utinam in regiones alias ſe hinc reciperent, libenter illis darem cœnam viaticam. Sed jam tempus eſt, mi Puer, ut te recipias in pædagogium. PAMPHIL. Vale, mi Pater. PAMPIR. I pede fauſto, & bonis literis jam in hac tenera ætate incumbito, ut poſthac ſis quod diceris, nempe, *Pamphilus*.

[z] Dentes.

[a] Siccæ, & aridæ, ut thymiama.

[b] Cymbium, poculi genus.

[c] Plexilis.

COL. X.

# COL. X.

## E MOSTELLARIA.

Miles, Harpax. | Monachus, Conradus.

a Qui fert reſtem.
b Qui jam obviàm venit.
c Intra dies paucos.
d Qui lucro ſtudet.
e Rufticus.

QUem ego a reſtionem hìc video, qui mihi jam eſt b advorſitor? Puto *Conradum* eſſe, qui, c cis paucas tempeſtates, ex urbano d lucripetâ factus erat e frutex; nunc, ut audio, *Franciſci* cucullum induit: adibo hominem, & ſalutabo. Salve, *Conrade*. CONRAD. S. *Franciſcus* tibi ſalutem impertiat, *Harpax*. HARP. Quid mihi cum *Franciſco*, cui religio fuit numos contrectare? Ego *Harpax* ſum, qui ſub *Mercurio* furum deo, bene fortunante *Marte*, alienas opes mihi harpagare ſoleo. CONRAD. Regula noſtra vetat pecuniæ tactum. HAR. At regula non vetat vos f muſicè agere, & g pollucibiliter obſonare: vos eſtis pauperes, & tamen omni deliciarum genere ac opulentiâ luxuriatis. CON. Fruimur iis quæ nobis gratis donantur, non prædamur, ut vos milites. HA. Verum dicis: Ego *Harpax* ſum, ſed tu *Conradus*: ut nos vi & apertè prædas agimus, ſic vos cor-

f Suaviter vivere.
g Laurè & opiparè victitare.



corraditis opes fictâ ſanctimoniâ; mutatur ſolùm prædationis modus. Miles eſt lupus, ſed Monachus h tarmes, ſecans & exedens lignum: i lineas mittitis, quibus captatis divites: non tangitis nummos, ſed ædes, & fundos k mancipio poſcitis. CONRAD. Vos milites impunè populum l peſsùm premitis; tu unus m *Herculi* conterere quæſtum poſsies, n præ quam alios dapſiles ſumptus facis, triginta minas vi extortas inſumpſiſti. Haud o intermiſsum apud te eſſi & bibi, quamdiù tibi reſtat nummus: oles unguenta exotica, & holoſericatus incedis, & molliter in culcitis plumeis foves corpus; cum nos intereà humi cubemus, ſacco amicti, & feneſtratis calceis pedes muniti, atq; cannabæo fune cincti, mundo valediximus; hâc ſimplicitate contenti, & victitantes p volupe parſimoniâ, tempus in Orationibus, & Sacrarum literarum lectione terimus, dum inter vos q eſtur, bibitur, ſcortatur, luditur aleâ. HARP. Orationis quæſo operam r compendi face. CON. Nè me interpella; poſſum, ſi volo, detegere ſ turpe tuum, & * manipularium tuorum: novi in exercitu veſtro *Thraſonem* quendam, qui nudius octavus vitiavit virginem primò, & mox

h Tarmes eſt propriè vermiculus in carne, qui in ligno, teredo eſt.
i Hamum demittitis, quo, ut piſces, ſic hos captatis.
k Jus, & dominium in ædes.
l Penitùs, funditùs.
m Ditiſſimum quemque ex ſpoliis, & decimis exhaurire potes.
n Præ ſumptibus aliis, quos ſumptus dapſiles facis, i.e. largos.
o Semper editur, & bibitur: Paſsivè.
p Cum voluptate duriter viventes.
q Editur.
r Breviter abſolve.
ſ Turpitudinem.
* Ejuſdem manipuli militum, ſeu commilitonum.

mox ipſam t mammam. HARP. Tace, u carnificinum cribrum; deſperearm, ni * enecâſſo te jamjam hâc machærâ, ſi verbum unum addideris: An

Clodius *accuſat mœchos*, Catilina Cethegum?

Vos Monachi eſtis inutibiles fuci, qui otioſè in cellis degitis, veſcentes aliorum cibis, labore & ſudore partis; placentis, tragematis, & opiparo x piſcatu ſaginati eſtis, cum y alliatum potiùs fungi deberetis, ſi detur pabulum vobis dignum: generoſum bibitis vinum, cum nobis ſæpe vix ſuppetat vappa: tibi corpus ſolidum eſt, & ſucci plenum; rubent buccæ, vigent oculi, pugilem te eſſe putarem; velut nidor, ſemper es in culina; aſſiduè z comes, cum mihi ſæpe pernoctandum ſub *Jove* frigido, & pereundum a algu ſit: cum oporteat nos milites falas b ſubire, trium nummorum cauſâ, vos Monachi agitatis argutias infrugiferas inter patinas; cúmque voto perpetui cælibatûs vos obſtrinxiſtis, Monialium non ſolùm veſtes, ſed veſtium c farta etiam contrectatis, & medullitùs amatis. CONRAD. Putâſne *Cupidinis* carbunculum corculum meum, in res cœleſtes

t Matrem, Antiquè.
u Digne, more cribri, perforari virgis carnificum.
* Enecavero.
x Piſcibus.
y Alliato pane veſci.
z Comedis.
a Algore.
b Turres ligneas oppugnare, parvæ mercedis cauſâ.
c Corpora.



cœleſtes intentum, amburere poſſe? HAR. Si datus eſſes d quæſtioni, & tormentis coactus fateri verum, non cælares quoties ſacrarum virginum e crines caperes, baſiares, & molliter tractares, & noctu & * interdius. CONR. Veniſti huc f extentatum, aut criminatum? Tu non es g gnarueris vitæ monaſticæ, quæ reverà eſt angelica. HARP. Imò, nè vel evangelica vita eſt: quid enim aliud eſtis, quàm errones? Huc & illuc circumcurſitantes quibuſdam magicis preculis h pultifagorum Barbarorum linguâ ſcriptis, opulentas viduas decipitis; &, ſpecie pietatis, incauto populo imponitis. Una cornix, qualis tu es, poteſt i ludificari duo vulturios: eſtis profectò mali ſervi, pro auro & argento cuditis nummos plumbeos, quibus mundum fallitis: mediâ nocte k ſepelitis ſomnum, ut preculas ad numerum murmuretis, quas ipſi non intelligitis. Perreptatis variis regionibus, in aulas principum vos ingeritis. Nulla in foribus potentiorum l coagmenta tàm arcta ſunt, quæ vos non penetratis. Nulla eſt arcanorum conſiliorum ſera tàm firma, quam vos ſecretæ confeſſionis clave † laconica non reſeratis: *Alcinoi* hortos, ædes m ſpeculo claras, & fundos

d In quæſtionem.
e Crines apprehendebant amatores, cum oſculari volebant.
* Interdiu.
f Ut extendas vocem.
g Gnarus.
h Romanorum, qui pultibus veſci ſoliti.
i Illudit duos vultures.
k Evigilatis.
l Conjunctiones.
† Doloſa.
m Ut ſpeculum.

dos uberrimos non [n] deſtinatis, poſsidetis tamen : ſi tergum [o] inſinceratum ſemel in anno feceritis, putatis vos *Chriſti* paſsionis factos eſſe participes. Si jure vobiſcum ageretur, non ſolùm [p] plagipatidæ eſſetis , verùm etiam [q] ferritribaces. Con. Certè tu homo [r] cerebroſus es, vinciendum te cenſeo, & caſtigandum [ſ] bubulis exuviis, donec ad te redeas ; aut [t] die craſtini ſuadeo naviges *Antyceras*, nam demiror Orcum non jamjam te accipere [u] Acheruntem, qui ſic debaccharis in viros bonos : quorum profeſsio eſt Seraphica , & claror merus, tu linguæ atræ veneno inficis & obfuſcas. An illi te [x] aliqui offenderunt, ut ſic bilem [y] Germana lues, quæ pejus allio obolet, in eos evomeres ? Debes [z] bubulcitarier, potiùs quàm militarier : bene cum viris probis ageretur ſi tu, tuíque ſimiles, [a] bucædæ, aut [b] directi eſſetis ; nam veſtro magiſterio palmam in omni nequitiæ genere poſsidet juventus : incenditis domos , diripitis templa , ſpoliatis viros bonos , vitiatis ſacras virgines ; cædibus, rapinis, perjuriis omnia fædatis ; religionem omnem conculcatis pedibus. Harp. Quid ais, plagigerule [c] patibulate ? Niſi te exer-

ceas

n Emitis.
o Impuratum, cruentatum.
p Qui plagas patiuntur.
q Qui verſantur in ferreis vinculis , à τρίβω tero.
r Parum ſanus.
ſ Loris, pellibus.
t Die craſtino.
u In Acheruntem.
x Re aliquâ.
y Prorſus immundus.
z Bubulci fungi munere.
a Bucædæ, qui bubulis coriis cæduntur.
b Sub dio erectus.
c Furcifer.



ceas [d] ad curſuram, ego reddam te tàm [e] liquidum, quàm liquida eſſe tempeſtas ſolet. Curre [f] curriculo, ſi non vis ferre infortunium ; ſi [g] mantas donicum gladium evaginavero, affigam te terræ, & tàm placidum reddam, quàm eſt aqua. Con. Liceat mihi tunicam abjicere, & baculum ex ſepe hâc diripere, ſenties haud ſceleſtum eſſe hunc diem * augendo fœnori plagarum ; ſortem enim cum uſura recipies : ego non te demittam, niſi probè dolatum ; videbis me hominem minimè ingratum ; [h] nolo infecta tua dona facere : propterea, vide quid agas, & priùs Senatum conſilii in cor [i] convoca, quàm gladium diſtringas ; nam ad idem [k] ſaxum te fluctus ferunt. Harp. Túne, genus [l] ferratile , minaris mihi, qui hâc dextrâ tot hoſtes ſub Tartara miſi? Non te * amittam donec ut [m] Salpam verberavero, & trituravero ; qui, velut meſſis magna, accedes [n] horno : nimiùm in anginam verti me velim, ut tibi ſtimulatrici ad ſuperſtitionem fauces prehendam. Conrad. Abi domum, & prehende fauces [o] adminiculi tui ; illud, te abſente, [p] immigrare ſolet in ſuum ingenium, & amatores allicere ; nam ceruſſâ, aut [q] melino, aut aliâ quâpiam [r] of-

fuciâ

d Te in fugam dederis.
e Tàm mitem & tranquillum.
f Celeriter : Adverbium.
g Manes donec.
* Elocando.
h Indonata quæ donas.
i Conſulta tecum.
k Ad idem periculum.
l Qui ferro vincti ſunt.
* Demittam.
m Ut aſellum arefactum, *Anglicè* Stock-fiſh.
n Frugibus hujus anni.
o Uxoris tuæ.
p Suo more vivere, & antiquum obtinere.
q Auripigmento ex inſula Melo.
r Fuco ſe pingere , & renovare.

fuciâ ſe interpolare ſolet more meretricio ; tum unguentis delibuta incedit uxor tua, cum rectiùs oleat mulier, quando nihil olet ; & fruſtrà ornata eſt, quæ malè morata eſt. Pulchrum ornatum mali mores pejus cæno collinunt. HAR. Túne declamas in muliebrem impudicitiam, cum nulli magis inſidientur noſtris uxoribus, quàm vos Monachi ? Neque mirum, cùm otio, & opiparis cibis, & generoſo vino, quod lac *Veneris* eſt, *Cupidinis* faces velut oleo alatis. Non diu eſt quòd vicinus meus, peregrè rediens, reperit veſtri ordinis Seraphici quendam parùm decorâ conſuetudine utentem, ſub prætextu confeſsionis cum uxore ſuâ ; quem, nullo reſpectu habito ad *Franciſci* cucullum, in [f] ferricernuum ire coëgit, detractâque tunicâ, ſic proprio fune variavit tergum, ut corium illi reliquit parùm ſincerum ; ſic abſolvit hunc [t] vomitum. CONRAD. Mendacium egregiè [u] calidum ! Sed quid mirum viros bonos traduci à *Thraſone* impio ? Hoc novum non eſt. Sed nimis diu inquinavit aures cornicando hic ſceleratus verbero ; volo me in Monaſterium recipere, & permittere hunc canem adversùs lunam latrare. HAR. Abi citò, alioqui corium tibi

f In compedes : Cernuus eſt calceamenti genus.

t Hunc impurum demiſit.

u Subitum.





tibi reddam non minùs feneſtratum, quàm ſunt calcei ; neque

—— *poſthac caſtiges turpia, cum ſis*
*Inter funigeros notiſſima foſſa*
*Cinœdos.*

## COL. XI.

### E MENÆCHMIS.

*Democritus. Chriſtianus.*

CUr incedis, *Chriſtiane*, tam [a] formicino gradu ? CHRIST. Quia debilis ſum, & ſenectute [b] conſitus. DEM. Ætas hæc mala merx : Sed quot annos [c] autumas ? CHRIST. Octoginta tres. DEMOC. Bellè fers ætatem ; niſi quòd rugæ & canities monſtrent ætatem declivem: tam canus es ac ſi cycno fuiſſes prognatus patre. CHRIST.

*O mihi præteritos referat ſi Jupiter*
*annos !*

Si fas eſſet ex hâc ætate repueraſcere, meliùs vitam meam inſtituerem, quàm in adoleſcentia inſtitui ; nam juvenes omnes maximè [d] mori ſunt, voluptatibus & intemperantiæ dediti, corpus reddunt effœtum ſenectuti ; ſed plurimi ſunt qui ſenectam nunquam contingunt, quos ebrietas & luxuria vitâ * devolvunt ſuâ:

a Tardo.

b Valdè ſenex : Metaphora.

c Numeras.

d Stulti.

* Deficiunt.

ſuâ : ego quidem malo conſortio, velut contagio infectus, à labore ad libidinem proclivis factus ſum, & bonam ætatis partem inſumpſi in voluptates, quibus, niſi maturè valedixiſſem, ad hanc ætatem non perveniſſem. DEMOC. Nihil dignius meo riſu duxi, quàm videre tot juvenes, monita Præceptorum, Parentum, & Sapientum ſpernentes, præcipites in ſuam ruinam & perniciem tendere: Senes delirare credunt ſi diſſuadeant; Paraſitis autem, omnium ſcelerum magiſtris & ſuaſoribus, ſe totos dant, donec in leoninum [e] cavum inducant, ubi ab illecebris [f] argentariis & pecuniâ emunguntur, & valetudine privantur. CHRIST. Ego jamdiu vixi,

—— *Res ſi qua diu mortalibus ulla eſt*;

nec à morte longulè abſum, cujus januam utroque pede protero; paucisſimos tamen obſervavi juvenes qui ſeriò ſenum conſiliis auſcultent & obtemperent, ſed illorum potiùs qui eos [g] fruſtratui habent, & teneram ætatem vitiorum venenis imbuunt, immò, in ipſos Parentes [h] Titanos faciunt. Quot volui [i] elicere ſalvos ex damni ſaltu, qui mihi nolebant vel [k] præhibere aurem? Unicum ipſe adoleſcentem habui, quem ſenectutis meæ

[e] Speluncam.
[f] A ſcortis pecuniam elicientibus.
[g] Decipiunt.
[h] Immorigeros & rebelles.
[i] Servare à damnoſo ſaltu; id eſt, à periculis.
[k] Præbere.



meæ ſcipionem futurum credidi; is malis ſuis moribus hos canos acceleravit. Eſt in hâc urbe *Gnatho* quidam, qui [l] oculum perſolum habet, natione Italus; hic in patria ſua [m] capital aliquod fecit, & huc, tanquam ad aſylum, migravit; domum non audet redire, illinc enim excluſisſimus eſt: neſcio quo malo fato incidit in filii mei conſortium; quem obſervans multum auri in pera [n] degerere, primùm in œnopolium pellexit, ibique [o] cœna cereali accepit; tunc, vino obrutum, in fornicem deduxit, ubi valetudinis & auri jacturam fecit. Quid multis? Ex nimia *Venere* & *Baccho* inflammatis meningibus cerebri, & diaphragmate, in maniam incidit; quaſi [p] larvatus, aut cerritus, aut lymphaticus in plateis inceſſit, in obvios quoſque impetum faciens, oculis [q] virentibus formidabilis, in prætereuntes [r] compingebat lutum aut lapides, aut [ſ] ſementem in ore faciebat, & pugnos obſerebat. DEMOC. Nónne [t] hanc rem conſuluiſti medicos? CHRIST. Conſului, & quidam curam ejus ſuſcepit; ſed dum propiùs accederet medicus cum pharmacopola, ut filii brachia conſtringerent, poſtquàm diu cum eo [u] velitati ſunt, tandem robuſtus juvenis medi-

[l] Unoculus fuit, ſeu luſcus
[m] Facinus capitale, vel morte luendum.
[n] Deferre.
[o] Opipara cœna.
[p] A larvis territus, aut à *Cerere*, aut à Nymphis vexatus.
[q] Luridis, acriter intentis.
[r] Conjiciebat
[ſ] Seminabat, & cooperiebat pugnis.
[t] De hâc re
[u] Leviter pugnârunt.

ci ſcipionem eripuit, ejúſque [x] artua comminuit. DEMOC. Quomodo evaſit Pharmacopola? CHRIST. Evaſit, rogas? Non ſine vitæ diſcrimine; conabatur eripere filio baculum, ſed fruſtrà; [y] *Hercules* ab *Hyppolita* ſuccingulum haud æquè magno abſtulit periculo: tam miſerè [z] pugnis caput pexuit, & ora commentavit, ut, niſi vicini quidam, audito clamore & tumultu, [a] occupâſſent adire, actum fuiſſet de Pharmacopolæ oculis; ſine dubio oculorum [b] locus in capite apparuiſſet. DEMOC. Quid tu intereà? CHRIST. Ego? Cum primùm [c] penetravi pedes intra, me agnovit, & compellavit nomine, & diu utrâque manu dextram meam [d] attinuit: Veniſti, inquit, Pater, [e] advorsùm tempori, nam [f] curaſſere filium; [g] deteſtor Deum me tibi morigerum fore, ſi exemeres filium tuum captivum è meretricis nave prædatoriâ, quæ me, ut lembum, ducit dierectum ad interitum. Succurre, Pater, chorda tenditur, ventus navem deſerit, en pyratæ adſunt, qui me [h] pedibus navalibus agent in perniciem. Hoc dicto [i] pandiculans oſcitatur, &, quaſi aliquo dæmone fuiſſet afflatus, ſpumare cœpit & tumeſcere;

x Artus.

y Non cum tanto periculo abſtulit balthæum ab *Amazonum* reginâ.

a Contudit, & commentatione ſeu ſtudio ora denuò finxit.

a Antevertiſſent, maturè veniſſent.

b Exoculatus fuiſſet.

c Intravi.

d Fixam tenuit.

e Occurriſti in tempore mihi.

f Curam habere.

g Valdè teſtor.

h Remis.

i Extentus, & pandus.

*non*



*——— non vultus, non calor unus,*
*Non comptæ manſere comæ, ſed pectus anhelum,*
*Et rabie fera corda tument*; ———

ſimúlque ruptis quibus tenebatur funibus, ex ædibus [k] numerò ſe proripuit, & horrendum in modum vociferans, rectà ad pontem currit, indéque in rapidiſsimum fluvium miſit ſe præcipitem, ubi aquarum vorticibus abreptus & ſuffocatus interiit. DEMOC. Horrendam mihi narras tragœdiam: ſi flere ſcirem, ex *Democrito* facilè fierem *Heraclitus*. CHRIS. Neſcio quid tu fieres; ſed ego libentiſsimè fierem, cum *Niobe*, ex homine ſaxum, qui unicum gnatum ſic amiſerim. Utinàm alii adoleſcentes ejus exemplo diſcant ſobrietati ſtudere, Præceptorum & Parentum monitis obtemperare, & Paraſitorum conſortium, non minùs ac peſtem, effugere. DEMOC. Sed quid factum eſt illi unoculo Italo? CHRIST. Certè, eodem illo die, ante [l] ſolem occaſum, curavi urbe ejiciendum; poſtquàm carnifex dedolâſſet [m] aſſulatim viſcera, jam, ut audio, longè [n] diſtitit hinc, ad *Perſas*. DEM. Non poſſum me à riſu temperare, quoties cogito quàm inepti ſint Parentes & frivoli, dum queruntur de libero-

k Subitò, citò.

l Solis occaſum.

m Comminuiſſet minutatim: aſſulæ ſunt fragmenta à marmore, dum à rupibus exciduntur, diſilientia.

n Diſceſsit, à verbo *diſtat*, *diſtitit*.

liberorum malis moribus, quorum tamen ipſi ſunt maximè fautores, dum indulgentiâ corrumpunt, & malo exemplo illis præeunt. CHRIST. Veriſsimè dicis; nam quâ fronte exiget Pater ſobrietatem à filio in victu & potu, cum ipſe apparat opipara [o] proilia, [p] obſonetur tot ſcitamentorum genera, [q] polimenta porcina, [r] ſuillam glandionicam, [ſ] perones quæ milvinam ſuggerant? Apud menſam plenam, in qua apponuntur porci [t] ſacres & ſinceri, Parentes ſua [u] roſtra deligant, & epicureos agunt; vino ſe ingurgitant, & ſuos filios [x] cyathiſſare volunt, [y] ſtruices patinarias concinnant. An putas hanc eſſe viam liberandi filios à vinculis eſcariis? DEMOC. Non, per Riſum; ſed reddendi eos inſignes [z] bellatores canthario, aut Veſpillones, qui opipara prandia [a] ſepeliant. CH. Quales putas juvenum doctores eſſe noſtri temporis Philoſophos, qui inter calices ſepulchra habent ad [b] conſumendos dies? DEMOC. Puto tales non Philoſophos eſſe, ſed peniculos, quibus extergantur [c] baxeæ dignos. Novi quoſdam in ſchola *Chryſippi* inſignes, qui mihi

*— movent petulanti ſplene cachinnum:*

nam quamvis ſit

*Rarus*

[o] Prælia, i.e. prandia.
[p] Emat ſciti ſaporis cibos.
[q] Teſtes porcinæ à politione ſegetum: Metaphora.
[r] Suillam ex glandiis, ſeu glandibus, gutturis partibus calloſis.
[ſ] Pernas, quæ famem immodicam excitent.
[t] Sacri, quia porci ſoliti ſunt immolari
[u] Ora ſolvunt & aperiunt.
[x] Κυαθίζειν eſt vinum in poculis miniſtrare.
[y] Structuras patinarum facinne.
[z] Bibaces.
[a] Conſumant.
[b] Ad inſumendos dies hilariter.
[c] Baxeæ ſunt Philoſophorum & Sacerdotum calcei.



*Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi,*
*Atq; ſupercilio brevior coma; —*

tamen ſæpe, priuſquam dies ad umbelicum ſit [d] dimidiatus mortuus, ſomno vinóque ſepeliuntur; & aliquando in ipſa ſtoa [e] cantherino ritu ſtantes ſomniant: Nec à Diva Cypria abhorrent, nam nocte ſuperiori [f] condixeram foras aliquò; dúmque à me exirem, obſervavi unum clanculo gradu intrantem fornicem, & [h] ſtalagmium in manu deferentem ad amicam, cujus, ut aiunt, naſum baſiando penè abreptum mordicus tenere ſolet. CHRIST. Miror ſapientiæ Profeſſores, nec ſibi nec aliis ſapere; nam ſemper odi homines ignavâ operâ, ſed philoſophâ ſententiâ: quorſum enim attinet ſobrietatis præcepta auditoribus tradere, & ebrietatem exemplo ſuo comprobare? Faciliùs ſanè ducimur exemplis quàm præceptis: longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla. Indiligens eſt ille dominus, qui vicini ædes ruinoſas reprehendit, cum intereà ſuas reddere [i] alias nevolt. DEMOC. Tales [k] datant occaſionem Turcis debacchandi in religionem noſtram. CHR. Fateor; propterea non tam [l] ſpurcatur naſum odore illutibili, quàm animus

[d] Ante meridiem.
[e] Id eſt placidè, ut equi caſtrati.
[f] Cœnam, id eſt, denunciavi me cœnaturum.
[h] Genus inaurium.
[i] Reficere non vult.
[k] Sæpe dant.
[l] Læditur, inficitur odore illuto, qui elui nequit.



meus

meus offenditur talium ſodalitio. Qui Chriſtiani dici volunt, Chriſtum imitari debent; ille jejuniis ſe maceravit, pane hordeaceo, & minutis piſciculis contentus vixit, ut nobis ſobrietatem in victu commendaret: quinetiam, poſt reſurrectionem, cum [m] occœcatus eſt Sol præ candoribus corporis ejus, comedit ex piſcibus illis quos Apoſtoli ad [n] *Vulcani* violentiam appoſuerunt, ut nobis oſtenderet regnum Dei non conſiſtere in ciborum deliciis: Ob hanc cauſam noluit Apoſtolos viaticari vel [o] æſtivè, aut [p] vidulum & baculum circumferre, ut toti ab ejus providentia penderent; neque hæc Judæis ſolùm ſcripta ſunt, ſed nobis etiam Gentibus, qui eramus illi extra numerum & quaſi [q] adſcriptivi. DEMOC. Diſertè quidem concionaris, ſed mihi aliò properandum eſt. CHRIS. Quò? DEM. Ad forum, ibi hodiè futura eſt auctio. CHR. Quis [r] licebit merces? DEM. Neſcio, ſed merces, ut audio, ibi hodiè [ſ] vænibunt: Auctor, ſine dubio, capiet [t] quinquageſies; ſi me conventum ſub veſperam cupis, invenies in ædibus contiguis ædi pellionis, ubi palus palo proximus eſt. CHR. Bene vale, & fæliciter tibi faveat *Mercurius*

*Callidus,*

m Obſcuratus

n Igni admoverunt.

o Viatico vel tenui inſtrui.

p Sacculum.

q Milites extra ordinem adſcripti, vocabantur adſcriptivi.

r Pretium indicabit.

ſ Vænient.

t Quinquagies centum millia ſeſtertium.



*Callidus, quicquid placuit jocoſo*
*Condere furto.*

## COL. XII.

### E MILITE GLORIOSO.

*Eutychus. Heraclitus.*

[a] COnferre pedes geſtio cum *Heraclito*, atque eccum video ſub arbore ſedentem, & [b] caſſantem caput, quaſi [c] panniculam tectoriam: os habet * columnatum, & quaſi ædificans [d] mento ſuo columnam ſuffulſit; aliquando digitis [e] pectus pulſat, quaſi cor eſſet evocaturus forâs; lachrymæ diſtillant in genas: volo ſcire quid rei ſit. Salve, *Heraclite*: Quid ſibi volunt tuæ lachrymæ, & digitorum implicatio? An adverſæ & ſævientis fortunæ procellis jactatus es? HERAC. Tu, quis es, qui me alloqueris? nam lachrymæ objecerunt [f] glaucoma ob oculos, ut vix diſcernere valeam. EUT. Sum *Eutychus*, amicus tuus. HER. Certè *Atychus* ſubitò fieri potes; neſcis quid ſerus veſper vehat, propterea fortunam reverenter habe; nam in hoc mundo verſamur omnes, ut in loco Neptunio, [g] templo turbulento, ſursùm & deorsùm jactamur: in præcipitio ſtant quibus fortuna maximè favet, nec ullus

ſtabili

a Congredi.

b Quaſſantem

c Caput arundinis, inſtar floris.

* Brachio ſuffultum.

d Cogitabundus eſt.

e Cogitat, impatienter dolet.

f Excœcârunt. Glaucoma eſt cum exiccatur chryſtallinus humor.

g In mari.

ſtabili ſtat gradu; ego [h] meditatè novi hujus mundi præſtigias & vanitates. Eu. [i] Qui hortum habet, olitori non ſupplicat; qui bonis fortunæ affluit, quid eſt quod metuat? Herac. Immò nulli magis metuunt, quàm quibus fortuna favet. Eutyc. Hoc oſtende, quæſo; [k] perpurgatis auribus tibi operam dabo. Her. An non

*Sæpiùs ventis agitatur ingens*
*Pinus, & celſa graviore caſu*
*Decidunt turres, feriuntq́; ſummos*
*Fulmina montes?*

Nónne aliquando fures & mures metuis? Nónne uxorem & famulos? Nónne ſæpe umbram tuam & inſomnia?

*Si foribus laxam ſuſpendat aranea caſſem,*
*Nónne putas numis retia tenſa tuis?*

cum tamen videas infimæ fortunæ homines, quos tu ſupercilio ſuperbo [l] ſpicis, ſecurè & placidè vitam agentes, nullíſque territos & turbatos inſomniis, aut imaginationibus. Nónne

*— canit vacuus coram latrone viator?*

Quorſum adhibent potentes & divites ſatellites armatos, cuſtodes canes, oſtia duplicata, tot & tam firmas ſeras, ſi ſibi, & amicis opibus non metuerent? Si Reges

ges

[h] Accuratè.
[i] Proverbium.
[k] Diligenter auſcultabo.
[l] Deſpicis.



ges non conſiſterent in [m] loculo nimis lubrico, non opus haberent tot [n] manipularibus centuriatis, corporis tuendi gratiâ. Quàm miſerum habent vitæ exitum, quàm ſubitò deturbentur de ſummo honoris gradu, quàm brevì fruantur voluptatibus ſuis hujus mundi Principes; teſtis eſt *Cæſar* [o] urbicapus, qui domuit tot gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omnium copiarum genere abundantes, quíque ex hoſtibus Romanorum, [p] farta fecit machærâ ſuâ, non diu feriatâ, cum omnes turres, caſtra, [q] pugnacula, ſolo æquâſſet, rémque ſuo [r] remigio aliquandiu geſſiſſet, omniáque lepidè [ſ] ſub manus ſucceſſiſſent; tandem viginti tribus vulneribus confoſſus, ad *Pompei* hoſtis ſui pedes mortuus cecidit. Eut. Triſte narras exemplum inconſtantiæ humanæ: ſed perge, obſecro; nam, [t] auceps ſermoni tuo, aures meas dedo in deditionem tuam: Sed cohibe, quæſo, lachrymas, nè fortè [u] lucitioſus fias. Herac. Jamdiu [x] ſtultividus fui; ſi tu verè conſcius eſſes humanarum miſeriarum, ut ego ſum, non poſſes à lachrymis temperare. Non poſſum [y] cum catalogo loqui, vel numerare quot infortuniis & vitiis homo

[z] ſe

[m] In loco.
[n] Cohortibus in centurias ordinatis.
[o] Expugnator urbium.
[p] Hoſtes comminuit gladio non diu otioſo.
[q] Loca undè pugnatur.
[r] Suis artibus, ſuo *Marte*.
[ſ] Ex animi ſententiâ.
[t] Aucupor, & in poteſtatem do aures, i. e. diligenter auſcultabo.
[u] Qui parum videt.
[x] Qui ſtultè, vel qui ſtulta videt.
[y] Ordine.

[z] ſe dat mancupio. Quid illo perjurius, aut gloriarum plenius? Nec lingua ejus ſolùm [a] falſijuria eſt, ſed facta etiam [b] delenifica ſunt. Nulla beſtia tam [c] ebriaca eſt. Quas [d] vineas agunt homines, & pluteos, ad fallendum alii alios? Quis [e] junix homine impotentior & laſcivior? Quis tam [f] Acheruntícus & capularis eſt, qui corradendæ pecuniæ non dat operam? Quid eſt hoc, niſi quod minus reſtat viæ, plus quærere viatici? Quis tam [g] lepidè juvenis ingenuatus eſt, aut cui ineſt tam [h] amuſſitata indoles, qui [i] regionem conſiliis ſanis dat, qui non in [k] diem extollat reſipiſcentiam, qui non vires proſternat, & ſanitatem periclitetur, dum bacchatur [l] hamâ? Novi unum cui [m] aqualis bilibris vini in cœnâ non ſufficit. Novi alterum qui [n] demoritur puellam deformiſsimam; [o] pithecium diceres, vel [p] ſpinturnicem, ſi videres. Præterea, mancipium eſt puella iſta, nec [q] ingenua, nec feſtuca facta. EUTYC. Hæc eſt ratio, ni fallor, cur tot [r] inſignitos pueros Matres jam pariant; nempè, [ſ] varos, [t] valgos, [u] compernes, [x] petos,

- z Se addicit.
- a Pejerans.
- b Decipientia.
- c Ebria.
- d Id eſt, artes, & machinas bellicas.
- e Juvencus.
- f Decrepitus.
- g Bene moratus.
- h Ad amuſsim facta, id eſt, perfecta.
- i Locum.
- k In longum tempus differat.
- l Vaſe aquario coreaceo.
- m Vas aquarium continens duas libras.
- n Perditè amat.
- o Simiolam.
- p Avem turpis figuræ, quidam incendiariam putant.
- q Nec liberis Parentibus nata, nec virga Prætoris libertate donata.
- r Deformes.

ſ Curvis cruribus. t Verſis ſuris. u Junctis plus juſtò genibus. x Oculis ſemicluſis.

tos



tos aut broncos. HERAC. Rectè conjectas; nam ex inſcitis [y] admiſſariis, & equabus ſimilibus, naſcuntur deformes pulli equini;

*Eſt* enim, ut ait ille, *in juvencis,*
*eſt in equis patrum*
*Virtus: nec imbellem feroces*
*Progenerant aquilæ columbam.*

Sordidi tamen Parentes, ſpe lucri ex ampla dote illecti, liberos ſuos diſparibus jungunt connubiis; & ipſi juvenes, in [z] nutricatu venereo educti, excœcantur, ut ranam *Dianam* eſſe putent. EUTYC. Ego [a] voluntate nollem talem uxorem ducere; mallem [b] nihili fieri, quàm [c] hibus copulari, qui deformi ſunt corpore, & moribus perverſis; nunquam poſſunt illi onerari hilaritudine, nec poſſunt [d] ductari labiis: Eſt mihi vicinus quidam, qui in [e] feſtis quinquatribus proximis, uxorem, ſed malâ alite, duxit; hæc [f] valgis ſuaviis eſt, & domi aſsiduè oblatratrix. Cum maritus inſanè eſuriens redit ad ædes ex agro, ubi [g] epityrum comedere ſolebat, veſci cogitur lolio, cum vile ſit triticum, neque quidquam obſonii unquam guſtare permittitur: [h] minaciis fœmineis, & ſævis verbis aſsiduè tunditur miſer; imò ali-

- y Equi qui admittuntur ad equas.
- z Apud *Venerem* educati.
- a Sponte.
- b Caſtrari.
- c His, antiquè.
- d Allici labris ad oſcula.
- e In feſto *Minervæ*, Martio menſe habito.
- f Ore obtorto, ſeu oſculis obtortis.
- g Polentam caſeatam, ab ἐπὶ, & τυρός.
- h Minis.

aliquando crepant manu malæ: hæc audio, penè indiès, per i ſolarium noſtrum. Sæpe tentavi ut eos k convenas facerem, ſed l fruſtrà fui. HERAC. Quomodò intereà ſe gerit maritus? EUTYC. Ille tam m liquidiuſculus eſt, quàm Favonius; immò ſuppalparier ſolet illi quando maximè ſævit; cúmque tam ferox eſt uxor quàm n potis, ille o indiligenter eſt, nec magis turbatur illius vociferationibus, quàm nos ſtrepitu ejus qui p ſorbet dormiens; naſo enim non dormit, ſed magnum clamat. HE. Quis ex tali muliere educeret liberos q generi monumentum? EUT. Fateor eſſe maritos qui illi latera facerent r lorea, potiùs quàm paterentur illius petulantis linguæ contumelias: ego ipſe malè ſ mulcaſſim, & tentarem bonis fuſtibus num t elephanti corio circumtecta eſſet. Sed quid iterum prorumpis in lachrymas? HERAC. Quia tam malè convenit uxoribus cum maritis: ſi inter tales tam atroces excitantur tragœdiæ, tam irreconciliabile ſit odium, ubi invenienda eſt vera amicitia; ſine qua, quid vita hominum quàm miſeria?

*O curas hominum! O quantum*
*eſt in rebus inane!*

Quan-

i Eſt locus in ſuperiore æde ad accipiendum ſolem, *Heliocaminus*.
k Convenire.
l Fruſtratus ſum.
m Serenus.
n Quàm poteſt fieri.
o Negligens.
p Stertit.
q Qui genus immortale reddunt.
r Tam dura quàm lora.
ſ Mulctarem.
t Duro, an molli.



Quantâ ſolicitudine & curâ naſcimur, & educamur à Parentibus? Cúmq; ſperent ſe beatos & æternos fore in nobis liberis, ecce, vel infœlici matrimonio, vel flagitioſâ vitâ, vel quovis infortunio, eorum ſpem fallimus; curas omnes & impenſas perdimus, & ſæpe mortem tam nobis quàm illis acceleramus. u Recorda vitæ noſtræ x antelogum: Nónne flentes ex materno utero in hujus vitæ theatrum prodimus? Quanto imbecilliores & imperfectiores ſumus beſtiis? Quàm diu ſub tutela y Gerariarum ſumus? Poſteà mittimur in ſcholas, diſcendi gratiâ; ibi multos annos terimus, non ſine ſummo metu & multis plagis; z agitamur ſæpè virgis varii: ſurgendum eſt ante lucem, nec ſtudendum ſomno illis, qui nil a morantur negotioſum tergum; b ſublegere oportet ſermones Præceptorum, & valedicere ſermoni c proletario, ni volumus ſupplicium ulmeum de nobis dari: cúmq; ad virilem ætatem pervenimus, Deus bone! quot curis angimur? quot vitiis inquinamur? Alii ebrietati ſe mancipant, &, lege d talariâ, capacia vini pocula exhaurire diſcunt. Alii delicatioribus cibis ſtudent, & condimentis quibus irritetur gula: Cum Majores glan-

de

u Recordare.
x Prologum.
y Gerariæ ſunt ancillæ quæ gerunt pueros.
z Efficimur varii coloris.
a Qui nolunt verberari.
b Auſcultare ſermonibus.
c Plebeio.
d Regna vini ſortiuntur talis.

de contenti fuerunt, nunc [c] offas penitas vorare didicimus; olim aquâ ſitim ſedare ſufficiebat, nunc aromatitè, & omni vinorum genere ingurgitamur. Quot in Magnatum ædibus promi & [f] ſupprormi? Quot otioſi ventres, digni qui ejiciantur ſaginâ cellariâ? Hi cogendi ſunt manibus laborare, ut de veſperi [g] vivant ſuo. Alii meretricio capiuntur amore, totos dies ſe cum amicis [h] percellunt: ipſe in juventute [i] harunc Baccharum fui, & in earum laqueos inductus conſiliis & facetis fabricis nonnullorum [k] capitum illecebroſorum, ſæpe etiam cum combibonibus pernoctavi in cella vinaria, potantes donec [l] cadi caſabant, & [m] dolantes dolos, quibus irretitam teneremus puellarum pudicitiam, præcipuè unius, quæ tum mihi videbatur formoſa, acſi eſſet *Veneris* neptis. Quoties hæc, aliáque juventutis meæ delicta cogito, toties animus per oculos deſit, & in lachrymas ſolutus abit. Quid tibi memorabo invidiam, odia, ſycophantias inter homines, quibus auritis plagis alii alios capiant? Qui in pueritia [n] Sycolatronidæ erant, in virili ætate fiunt Sycophantæ. Eſt quidam haud procul hinc, qui ſycophantiis ſuis valet [o] admutilare militem uſque

cæſari

c Offas porcinas cum cauda quam veteres vocabant penem.
f Qui ſub promo ſunt.
g De ſuo cœnent.
h Sternunt ſe & procumbũt.
i Horum conſiliorum particeps.
k Qui illecebris fallunt.
l Inclinabant.
m Fabricantes.
n Fures ficuum.
o Tondere, vel radere bene comatum.



cæſariatum. Si mercatores adeas, videbis pleroſque *Mercurio*, furum deo, mancipatos; quorum merces non væniunt pro ſua [p] virtute cum [q] diſpenduntur, ſed pro libitu vendentis, qui malas merces pro bonis obtrudit, & mentiendo vel pejerando emptori imponit; ſed ſæpe juſto Dei judicio ipſe venditor fallitur: nam obſervavi malas merces pretio quandoque [r] pauperare ipſum dominum. Si juſtitiam quæras, oportet [ſ] munerari patricam; ſed, inſcio marito, nè ille videatur repetundarum reus, cujus non ſolùm dentes [t] dentiunt, ſed fauces etiam obvolutæ linteo, laborantes anginâ, vel argentanginâ potiùs cum *Demoſthene*; ſed fortè quidam inclamabunt, ſi hos [u] vulgem volgo; quare nolo crabrones commovere, aut cicadas alis corripere: [x] here namque quidam notus me reprendit pallio, clàm admonens, ut me in *Harpocratem* verterem; tutum, inquit, eſt ſilentii præmium; hoc tempus [y] tis non eget, nec conſilii tui: [z] hice ſunt mores hodierni. Ego mecum reputans ſatius eſſe jam pauciloquum, quàm vel magnidicum, vel multitidicum; egi gratias & abii. Sed [a] altrinſecus, ſi tibi depingerem vitam [b] ſtratioticam, ſi rapinas, ſacrilegia,

G furta,

p Pro dignitate non eſt pretium.
q Expanduntur.
r Pauperem reddere.
ſ Patriciæ dare munus.
t Dolent.
u Turbæ divulgem.
x Heri prehendit.
y Tui, Antiq.
z Hi.
a Ex altera parte.
b Militarem.

furta, perjuria, ſcortationes, cædes, aliáque ſceleratorum militum flagitia ob oculos ponerem, mecum ſolvereris in lachrymas: non tamen omnes reprehendo, ſcio quoſdam eſſe duces cum *Ænea*, pietate inſignes, & armis; ſed gregarios, & mercenarios illos intelligo, qui ſpe prædæ, non pietate in militiam ruunt; quibus non plus [c] humani eſt, quàm volturiis. Nec minus flenda eſt nautarum impietas; hi [d] cauſam gerunt, & palliolum ferrugineum, qui [e] colos theſſalicus eſt, [f] expapillato brachio; ob oculos habent culcitram [g] laneam: hoc habitu naviculatores diſtinguntur à reliquis mortalibus; ſed ſi vitam eorum inſpicias, nihil differunt à profanis Atheis; inebriantur, jurant, ſcortantur, prædantur, & ſe totos malo dæmoni dant, neque maris irati minis terrentur: horum carina melius [h] lineata quàm vita eſt; navis [i] profundata periculo eſt vicina, at illi in profundo vitiorum volutantes nil metuunt. Quid tibi ſenectam noſtram referam? Quàm [k] ſamia ſunt noſtra tunc corpora? quot morbis obnoxia? Nec animæ tunc à vitiis tutæ ſunt, præcipuè ab avaritia; quinetiam nonnulli, licèt morti proximi, in *Veneris* tamen caſtris militare audent,

[c] Humanitatis plus quàm in vulturibus.
[d] Pileum ferrugineum.
[e] Cæruleus.
[f] Renudato ad papillam.
[g] Pannum mollem conſutum.
[h] Directa.
[i] Profunda facta.
[k] Fragilia.



dent, & uxores ducere; cum decrepiti ſenes ſint aridi cineres, & adoleſcens quæ ſeni nubit, nil aliud quàm vidua ſimul & nupta eſt. Dies me deficeret ſi omnes humanæ vitæ calamitates tibi recenſerem; quare nè mireris, ſi horum malorum conſideratione lachrymis indulgeam. EUT. Aures meæ admiſere orationis tuæ [l] moram, & jam uxoris [m] celox adventat, puto [n] materiarium deſiderare me; oportet [o] venari oculis tigna quæ tranſtineat parietes ædis disjunctos, nam uſus mearum ædium vetuſtate [p] nequior factus eſt; quare reficiendæ ſunt: Intereà vale, nec diutiùs fluant oculi, nam

——— *lachrymæ volvuntur inanes.*

Vulpes pilos mutat non mores: quamdiu homines ſumus, peccatores & miſeri ſumus.

[l] Orationem longam.
[m] Internuncius.
[n] Qui ligna, &c. ad ædificandum parat.
[o] Colluſtrare.
[p] Inutilior.

## COL. XIII.

### E MERCATORE.

*Sophobulus. Spudæus. Nauta.*

CUm animus ephæbis [a] ætate exit, cúmque res paterna [b] exulatum abiit, bene facis, *Spudae*, qui ſtudiis bonarum literarum das operam, quibus poſsis non ſolùm veram ſapientiam conſequi,

[a] Per ætatem.
[b] Periit, fugit.

ſequi, ſed paupertatem etiam [c] protelare, audio enim te multò primùm laborare [d] omnium condiſcipulorum in *Ariſtotele*. SPUD. Si non tam citò [e] receſſet vita patrio corpore, nunquam fortaſſe vidiſſem Athenas; nam decrevit me à ludo literario in officinam pannariam tranſmittere, ubi non *Minervæ*, ſed *Mercurii* ſacris initiandus eram: verùm Avunculus, advertens indolem meam ad Muſas propenſam, voluit me in earum caſtris militare. SOPH. Ergo cave nè ſocordiâ ſinas tempus, auro pretioſius, tibi elabi; neque ſis ex eorum numero qui Athenas navigant, non ut in lycæo ſtudeant, ſed ut [f] peplum videant, non advertentes annos juventutis præteritos, auro & gemmis nunquam [g] expendendos: quare [h] collocabis te in otium Muſarum dum poteſtur. SPUD. Dabo operam nè tempus hoc mihi datum ſine fructu tranſigam; ingenium [i] facturus ſum meum, & lecturus quantum eſt librorum Ariſtotelicorum. SOPH. Diſtrahit animum librorum multitudo, itaque cum legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas: Hoc etiam te monitum velim [k] altrinſecus, Nè nimio ſtudio te maceres;

*Eſt*

c Longè pellere.
d Ante omnes condiſcipulos.
e Receſſiſſet.
f *Minerva* pallium, in quo ejus victoriæ, aliáque multa erant intexta.
g Redimendos.
h Dum potes, in Muſarum ſocietatem te tradas.
i Uſurus ſum.
k Ex altera parte.



*Eſt modus in rebus:* ———

illud enim in vita eſt apprimè utile, ut nè quid nimis; multi enim aſsiduis lucubrationibus, & intempeſtivis ſtudiis morbos contrahunt, & mortem accelerant. Cave ergo pigritiæ [l] præverteris, cave etiam nè nimiâ ſpirituum intenſione corpus maceres; ſunt enim quidam in hoc Muſarum [m] phrontiſterio ventrioſi, bucculenti, & [n] panſi, qui ſe totos crapulæ, otio, & ſomno dant; ſunt autem alii ſqualidi, macilenti, pallidi, quos nimium ſtudium [o] eluctavit, quorum corda guttatim contabeſcunt, quaſi in aquam indideris ſalem. SPUD. Eſt in proximo mihi cubiculo optimæ ſpei juvenis, ſed nimiùm ſtudiis deditus; hic, cum ſociis nunquam [p] eunt diſcubitum ante noctis medium, ſemper ante quartam matutinam ſurgit; adeò ſtrigoſus & macer eſt, ut putares curas [q] ambadediſſe illi cor: videbis illum aſſiduè vel hiantibus oculis inſpicientem *Ariſtotelis* opera, vel cum *Scoto* tenuia nentem [r] ſubtemina philoſophica. SOPH. Ejus induſtriam laudo, ſed nimiam diligentiam non amo; nec ſuadeo ut totam ætatem teras inter Doctores Scholaſticos, à quibus plus ſubtilitatis, quàm veræ pie-

 tatis

l Nè te ad pigritiem verteris.
m Scholâ, à φροντίζω, *curo, ſtudeo.*
n Lati, extenſi.
o Eluctatum eſt, i.e. proſtravit, ſuperavit.
p Diverſi in cubicula cubitum.
q Circumediſſe, ab *Am*, id eſt, circum, *ad*, & *Edo*.
r Subtemen, quod ſubit ſtamini.

tatis hauries. Ante omnia autem, te præmoneo, ut à perditorum juvenum conſortio abſtineas, qui nec conſiliis, nec minis, nec bene ſ piſti flagris, poſſunt à vitiis in virtutis tramitem revocari; à quibus, ſine dubio, ſalus exulatum abiit. Si horum ſodalitio te immiſceas, & exempla ſequaris, ardentes malorum montes in te jacient: quare t is mando tibi, ut ab illis, tanquam à peſte, fugias: quàm u enim in talium conſortio reſiſtis, tam res tua in periculo vortitur; illi namque te ducent in œnopolia, & lupanaria, ſuadebunt potare, & ſtupri causâ cum meretriculis caput x limare: cum autem ſemel y effliĉtim perire incipis, actum eſt de ſtudiis; implebuntur fores z eclogiorum carbonibus, ſi in quam a paſicompſam incideris: Prætereà, ſcias tales juvenes illexe multos in b diſpendium; cum autem pecunias tuas decoxeris, non potes huic ſummæ c accudere plus auri. SPUD. Quid ſi cogant me importunitate ſuâ cum illis aliquando converſari & colloqui? An obſequar? Fortaſſe d in fermento jacebunt ſi recuſem, & dicent me ſuperciliosum eſſe, & eorum ſodalitium contemnere. SOPH. Dicant quid velint, minentur, e palpo percutiant, nè tamen tu

Verberati.
t Ego, is, vel idem.
u Quò magis moraris, eò magis periclitaberis.
x Corpus conjungere, commiſcere.
y Vehementer amare.
z Elogia carbonibus ſcribentur, ut mos fuit apud Romanos, in foribus formoſarum mulierum
a Ex omni parte comptam.
b Ad ſumptum illexiſſe.
e Addere.
d Tumeſcere irâ.
e Aſſententur



tu auſcultes, aut eorum obſequaris ſtudiis; ſed modeſtè reſpondebis te f paritare ire ad amicum, te rebus à tutoribus mandatis g prævorti velle, includas te in cubiculum, aut muſæum, nec aperias oſtium, licèt calcibus inſultent, licèt faciant fores h aſſulas, exclament, & vociferando rumpant i ramices ſi volunt, obturato aures; nec k ſint bibulæ, licèt ipſæ Syrenes occentarent oſtium: ſi autem tales in plateis vel campis tibi fortè occurrant, da l celerem fugiendi copiam, non aliter quàm fugit navis ante ventum m imbricum. SPUD. Habeo tibi, *Sophobule*, ingentes gratias pro ſapiente tuo conſilio; ſpero me obſervaturum, & conabor pro virili, non ſolùm ut navis fugere, ſed etiam conſilio tuo ut n vorſoriâ regi. Utinàm ſemper liceret frui tuo colloquio & præſentiâ. SO. Ego libenter tecum diutiùs commorarer, ſi occaſio permitteret;

— *ſed crepitans vocat Auſter in altum.*

Mihi navigandum eſt domum; ſi diutiùs in his regionibus manſero, uxor putabit me illam o exegiſſe matrimonio; ſextus jam hic eſt menſis ex quo huc appuli. SPUD. In qua nave futurus es vector? SOPH. In cercuro nave Aſianâ prægrandi,

f Parare.
g Priùs exequi velle mandata.
h Frangant in aſſeres parvas.
i Inteſtina.
k Nè audiant, licèt contrà oſtium cantarent.
l Fac citò fugias.
m Auſtrum.
n Inſtrumentum quo navis vertitur, clavus.
o Repudiaſſe.

di, quæ tollit trecentas [p] metretas. Sed quid fies? SPUD. Animi pendeo quid de me fiet, poſtquam hinc diſceſſeris: Eſtne quis qui lætus lætitiâ [q] fuat amittere amicum talem qui mihi conſiliis loco parentis eſt; ni oculos lachrymæ defendant, jam ardeat credo caput. Hic advena ſum, quis eſt qui vult me [r] redhibere in conſortium ſuum, & tam ſanis munire conſiliis adversùs improborum aſſultus? SOPH. [ſ] Emicato ſuſpiritus; ego non tibi deero per epiſtolas ſolari & admonere; &, ſi Deus mihi vitam largiatur, ſequente anno te rurſus inviſam: intereà, horum quæ dixi ſis memor. Sed video nautam huc curſitantem quantum poteſt. NAUTA. *Sophobule*, tibi properandum eſt, nam [t] prymneſium ſolvitur: Nauclerus ſtomachatur & furit, minitans ſe navigaturum ſine te; ego autem curſitando [u] animam nequeo vertere: [x] nihili tibi ceu ſiem ob defectum anhelitûs; tum curſu lien [y] ſeditionem facit. SOP. Tace, quæſo, diſcedo tecum. Vale, mi *Spudæe*, ſiſque bono animo. SPUD.

*Sic te, diva potens Cypri,*
*Sic fratres Helenæ, lucida ſidera,*
*Ventorumq; regat Pater:*
*Et ſervent animæ dimidium meæ.*

p Menſuras. Metreta continet 100. ſextarios.
q Sit.
r Habere, accipere.
ſ Fac ut ſpiritus ſurſum ductus emineat.
t Rudens.
u Spiritum ducere.
x Inutilis.
y Turbat me: Metaphora.

COL. XIV.



## COL. XIV.

### E PSEUDOLO.

*Endemus. Apodemus.*

QUis hic qui meis oculis obviàm [a] ignorabilis objicitur, chlamydatus cum hirquina barba? Vultu refert cognatum *Apodemum*, quem audio ab Antipodibus tandem rediiſſe; adibo, & ſalvere jubebo. Salve, *Apodeme*. APOD. Te reſaluto, *Endeme*, licèt vix mihi ſalus reſtat [b] dataria. END. Quamobrem, quæſo? APOD. Quia ex tam longa & longinqua peregrinatione nihil comparavi niſi morbos, inopiam, & miſeriam; nec mihi ſuppetit conſilii gutta. ENDEM. [c] Babæ! putabam te [d] promptâſſe theſauros *Jovis*: An nihil refers præter zonam inanem? APOD. Quidam [e] ſociofraudus, in quo mea [f] confidentia fuit, totum argentarium commeatum ſuppilavit furtificis manibus, ſeu milvinis potiùs, aut aquilinis ungulis. END. Nullus ergo fructus extat tuæ peregrinationis? APOD. [g] Satias ſolùm ſuppetit, prætereà nihil; neque ex toto meo auxilio argentario quidquam reſtat, præter nummum: hoc empturus ſum reſtim, ſtatui

a Ignotus, quem video.
b Quam dem
c Papæ!
d Præfuiſſe.
e Socii fraudator.
f Cui fidebam
g Satietas.

ſtatui enim me penſilem facere, & ante h tenebras perſequi tenebras. END. Miſeret me tui, qui tantum laboris & periculi fruſtrà ſubiveris: præſtitiſſet domi manſiſſe, quàm tot annos in exteris regionibus inſumpſiſſe, ubi i curio infortunio te maceràſti, & jam reverſus k paratragœdias. Quis non ad hæc flebit, niſi qui pumiceos habet oculos, qui nequeunt exorari ut unam expuant lachrymam? Tibi eſt uxor domi, & numeroſa ſoboles, quæ gaudebunt te rediiſſe incolumem, quamvis nudum: poteſtis labore & induſtriâ victum & amictum parare; nam labor jugis eſt theſaurus. Nónne ſupremus ille mundi Regnator divitias dat quibus vult, eáſque, cum volet, aufert. Qui cœli volucres paſcit, & leonibus victum ſuppetit; an eos derelinquet qui fiduciam in eo locant? Dynamin omnem habet in cœlo & in terra; nihil boni deerit timentibus Deum, ergo nè ſis tam inanilogus, neque tam l morologus ſermo excidat ore tuo, ut dicas te reſtim empturum ad ſuſpendium ob rei pecuniariæ jacturam, & facturum hunc diem tui reditûs m emortualem. Nónne vides quo ſplendore Deus veſtiat ſolſtitiales, & vernales herbas, quæ repentè oriuntur,

&

h Mortem ante noctem.
i Infortunio quo curæ creſcunt, i. e. vita ſolicita.
k Tragicum actorem refers.
l Ineptus.
m Funeſtum.



& repentinò occidunt? APOD.

*Nil habet infœlix paupertas*
*durius in ſe,*
*Quàm quòd ridiculos homines*
*facit.* ——

Omnes, mihi anteà noti, intendent in me digitum n medium, & ſalibris ſuis me o lamberabunt; immò, mihi p potandus eſt fructus fullonius: unuſquiſq; q legirupus, & r buſtirapus mihi inſultabit, & dictis ſ differet; unaquæque t cluda diobolaris anus, cum ſciverit me laborare rei argentariæ inopiâ, flocci faciet. ENDEM. Certè nullus bonus eſt qui non potiùs miſerebitur tui, & adverſam deflebit fortunam, (niſi ſit ex genere ſiccoculo) cum viderit te u intervorſum omnibus opibus, non tuâ culpâ, ſed x tragulâ à falſo & furaci ſodale injectâ. APOD. Sed dolet videre eos qui olim mihi inſerviebant, & y flagritribas Gnathones inſumere dies z prothymè, cum mihi interim ſudandum ſit panis lucrandi gratiâ: eorum a carnaria gravida tergoribus ſunt oneri uberi, madefaciunt b panticem vino, deportatur illis oleum in c cullæis, cum domi meæ vix ſit far modicum: illi habitant in palatiis, eorum januis munerigeruli manipulatìm

adſunt;

n Irridebunt.
o Dicteriis lacerabunt.
p Calcandus, ut veſtes à fullonibus.
q Legum ruptor.
r Buſtorum, aut mortuorum raptor.
ſ Dictis vulnerabit.
t Clauda, & vilis.
u Privatum.
x Dolis. Tragula eſt militaris haſta.
y Qui flagra ferunt.
z Hilari animo.
a Vaſa, vel loca ubi carnes aſſervantur magno onere, ſunt plena.
b Omaſium.
c In vaſis ex corio viginti amphorarum.

adſunt; me autem contentum eſſe oportet [d] pergulâ, ubi nemo eſt qui mihi, vel uxori, & liberis ſalutem impertiat. END. [e] Prox; ego tibi [f] obſonabo ſermone: qui his externis bonis abundant, fœliciores non ſunt, quin plerunque deteriores. *Dives* ille evangelicus epulabatur quotidiè ſplendidè, cum intereà bonus *Lazarus* fame laboraret; cujus anima tamen per Angelos delata eſt in cœlum, at *Divitis* anima per malos Genios ad inferos. Utrum ergo malles *Divitis* grandes patinas tucetáque craſſa, an *Lazari* famem & inopiam? Quid prodeſt indiès veſci pulmone & luctibus unctis, vel pulmento unctiuſculo? Quid prodeſt maſſicum, [g] paſſum, & mellinam hìc bibere, cum apud inferos non ſit vel aquæ gutta ad refrigerandam linguam? APOD. Væ ergo ſtrenuis noſtris potatoribus, qui quotidiè probè [h] maduſſam habent. Credo vicinum noſtrum, *Tricongium*, poteſſe ebibere quatuor [i] uberrimos fructus Maſſici montis in una hora hyberna. END. Apud inferos bibiturus eſt ſulphur, & amnem illum qui ambit Tartara flammis torrentibus: quare diſcant juſtitiam moniti, atq; utinàm maturè ſaperent mortales, qui vitam tranſigunt veluti

[d] Taberna.
[e] Pax.
[f] Loco cibi erit meus ſermo.
[g] Vinum ex uvis paſſis, mellina ex melle fit.
[h] Vino madidi ſunt, ſeu ebrii, à μαδᾶν.
[i] Vindemias in parva hora.



veluti pecora, quæ naturâ prona, atque ventri obedientia finxit; qui inter pocula & ſcorta diobolaria [k] luſtrantur, ridentes, & tamen ſub regno *Veneris* ſæpe vapulantes. An præſtat [l] exporgi lumbos hìc, cum ſine fine flendum ſit in tenebris? Multi jam jacent molliter in lectis eburneis, qui apud inferos nulla alia habitura ſunt [m] præſterga, niſi flammea; nec alios [n] lectiſterniatores, niſi dæmones. Multi jam ſunt quorum nomina cubant non in * cera ſolùm, ut olim; ſed in ære ac pario marmore, quæ nihilominùs æternâ oblivionis nocte prementur, quorum magnificas ædes & monumenta [o] vaſtitues inſequitur. Certè fœlicior eſt [p] excetræ, quàm mali hominis conditio, quanvis divitis: mallem me [q] caudicali provinciæ, quàm Romano imperio præfici, ſi in æternum me [r] perbitere oportet. Fœlicior eſt vir probus & Deum timens, cum veſcitur betâ abſque pipere & ſale, quàm impius dives, veſcens ſuaviſſimis *Neptuni* [ſ] pecudibus optimè conditis: in die Judicii æquior erit [t] calatoris, quàm Imperatoris conditio, ſine Deo & conſcientiâ bonâ. Prætereà, quàm brevis & fugitiva eſt hæc vita noſtra?

—— *Fugit ilicèt ocyùs Euro*;

aut

[k] In luſtris verſantur.
[l] Exporrigi, i.e. ridere.
[m] Strata.
[n] Qui lectos ſternunt.
* In tabellis cereis ſcripta.
[o] Vaſtitas.
[p] Viperæ.
[q] Lignis findendis. Caudex eſt arboris truncus.
[r] Perire.
[ſ] Piſcibus.
[t] Qui portat militibus lignum.

aut —— *ventos æquante ſagittâ:*
dum impius voluptatibus ſuis indulget, dum mammas [u] maniculis premit, dum capacia exhaurit pocula, & regna vini ſortitur talis, [x] lemniſcis ornatus;

—— *en, ſubito tremor inter*
*Vina ſubit,* —— *calidumq́ꝫ trientem*
*Excutit è manibus.* ——

E miſero corpore [y] exballiſtatur miſerior anima, & in momento ad inferos deſcendit turbo non æquè citus: quare affectibus tuis moderare, neque te ſolicitudine maceres, quòd opibus non affluas;

*Multa petentibus deſunt multa:*
*Bene eſt cui Deus obtulit parcâ quod ſatis eſt manu.*

AP. Ego [z] pro dapſilibus tuis dictis gratiam habeo; ædes enim mearum aurium diligenter feci [a] vacivas. Sæpe audivi concionatores hæc eadem dictantes è ſuggeſtis; multi ſunt qui his aures quidem [b] præhibent, ſed egreſsi templo oblivioni tradunt:

—— *auræ*
*Omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donant.*

Improbi homines non magis hujuſmodi dictis à peccando coërcentur, quàm fugitiva canis agninis lactibus alligatur; nam [c] curſim currunt in omne flagitiorum genus,

[u] Parvis manibus.
[x] Faſciolis à coronis pendentibus.
[y] Quaſi ex balliſta deturbatur.
[z] Largis.
[a] Vacuas, i.e. ſedulò auſcultavi.
[b] Præbent.
[c] Celeriter.



genus, ſic ut Miniſtri divini verbi mihi videantur dicta ſua ingerere quaſi in pertuſa dolia. Quidam ſunt decrepiti ſenes, qui templum aſsiduè frequentant, adeò tamen avari, ut citiùs è ſaxis, quàm ex talibus [d] ſepulchris aurum effodies. Alii in templo dant [e] operam ſomno: alii ipſo concionis & precum tempore concenturiant ſycophantias in corde, quomodo forcillent [f] fidem, & aliis imponant; ſunt enim [g] copi pectore ad talia facinora,& malorum omnium [h] heuretæ: plebeſcitum non eſt ſcitius illis in malis artibus inveniendis; [i] contechnari norunt quodvis flagitium; [k] centuriata ſæpe comitia habent piorum capitum, ſtudent quomodo alii alios [l] intervortant pecuniis,& nomina ſua ad omnes iniquitates, tanquam ad colonias, dant. END. Sæpe miratus ſum [m] paſtorum edictiones non deterrere eos, & extremi Judicii meditationem non revocare à malo vitæ inſtituto. APOD. Multi putant ſi dominicis diebus templa frequentent, ſe poſſe tota reliqua ſeptimana impunè [n] clepere, inebriari, ſcortari, fallere: ſi autem ſtipem erogaverint egenis, putant ſe poſſe malè partis opibus tutò frui, & ſe Deo pulchrè ſatisfeciſſe; haud abſimiles Sacerdotibus

[d] Talibus ſenibus.
[e] Dormiunt.
[f] Quaſi furcis torqueant.
[g] Copioſo.
[h] Inventores.
[i] Machinari.
[k] De capite ac vitâ piorum habent ſumma & inſtructiſsima conſilia; inferiora conſilia dicebantur Curiata, & Tributa.
[l] Quomodo pecunias ab aliis avertant ad ſe.
[m] Quæ edicunt.
[n] Furari.

cerdotibus Chinenſibus, qui illius ſoli-
dioris cibi fumo paſcunt deos ſuos
quo ipſi veſcuntur; apertis enim ca-
lentibus patinis, odos dimiſsis pedibus
in cœlum volat, quaſi in eum odorem
cœnaret *Jupiter*. ENDEM. Mortales
o graphici ſunt, qui putant Deum cre-
pundiis placari poſſe: Hóccine de Deo
cogitare fas eſt? Ipſe Ethnicus hoc abho-
minatus eſt, cum ait;

o Homines venuſti.

*Quid juvat hoc templis noſtros*
*immitere mores,*
*Et bona diis ex hac ſcelerata*
*ducere pulpâ?*

Sed an hoc de Chinenſibus obſervâſti in
peregrinatione tuâ? APOD. Maximè:
eſt quoque apud eos, atque Americanos,
genus hominum plagigerum, haud abſi-
mile Papiſticis monachis, qui p tergina
circumferunt plagis retunſa, & q ſtilis
ulmeis conſcripta: hi putant ſe probè
Deo ſatisfeciſſe, ſi ſemel, aut ſæpiùs in
anno, pro ſuis & aliorum delictis, corium
faciant r phœniceum; ſi varient latera,
ut nè æquè periſtromata picta ſint Cam-
panica, aut tapetia Alexandrina ſ bel-
luata, conchyliata. ENDEM. Video ſu-
perſtitionem ubique vigere; ſed audio
gentem

p Terga retunſa.
q Ulmeis virgis verberata.
r Puniceum.
ſ In quibus ſunt acu pictæ belluæ.



gentem illam Chinenſem ingenioſam
eſſe. APODEM. Audiſti, & verum eſt;
nam typographicam, horologiorum, &
tormentorum conficiendorum artes diu
habuere ante nos: inſpice hos characte-
res, hic eſt eorum ſcribendi mos. END.
Hæ literæ quærunt ſibi liberos, alia aliam
t ſcandit; puto gallinam eas ſcripſiſſe.
APOD. In belli artibus non minùs peri-
ti ſunt quàm nos; ſciunt quibus modis
ſuperandi ſunt hoſtes, u admœniendæ
urbes; habent ſua ſtratagemata. ENDEM.
An eorum ſermonem x legis? APOD.
Non exactè, nam apud eos non diu man-
ſi, neque licebat; omnes enim advenas
ſuſpectos habent. ENDEM. y Quotu-
mos annos inſumpſiſti in peregrinatione
tua? APOD. Non quot *Ulyſſes*: hic jam
annus eſt ſextus ex quo patriam reliqui.
END. Sed narra, quæſo, ſi videbitur,
ſummam tui itineris. APOD. Certè non
eſt mihi terminus ad z detexundam te-
lam certus, nec jam ſat temporis habeo;
eſt enim nunc a multum die, & adhuc
jejunus ſum; neque enim hoc menſe præ-
terito quidquam opſonii guſtavi in Gal-
lia. END. Quid cauſæ fuit, cum Lutetiæ
ſint tot coqui? APOD. Sunt quidem co-
qui, & coquina, ſeu furina potiùs, & co-

t Chinenſes, & Americani non dextrorſùm, & ſiniſtrorſùm, ut nos Europæi, & Aſiatici, ſed ſurſùm, & deorſùm ſcribunt.
u Circumvallandæ, obſidione cingendæ.
x Intelligis.
y Quot.
z Ad prætexendam, i.e. neſcio unde incipiam.
a Diei, id eſt, ſerum diei.

quorum [b] ſublingiones; ſed quales Orcus nollet recipere, ut mortuis coquant cœnam. END. Quamobrem? APOD. Quia non ſolùm ſordidi ſunt, iiſdem digitis mungentes nares quibus tractant cibos, ſine ulla lotione; verùm etiam ſudores aliquando miſcentes juſculis, allium in patinas eructant, & hircum ab alis [c] ſapiunt, fungos & ranas vænales exponunt pro cibis ſolidis, & condita prata proferunt in patinis, quaſi boves haberent convivas; herbas oggerunt tenuioribus hoſpitibus, ſcilicet, [d] atrum olus, [e] blitum, [f] rumicem, braſsicam, laſerpitium, agnoſelum, quæ condimenta [g] ſtrygibus quàm hominibus aptiora ſunt; nam [h] exedunt vivis convivis inteſtina, & omnia penè condiunt ſceleratâ ſinapi, quæ terentibus facit ut oculi extillent; herbas ſalubres & inſalubres [i] promiſcam exhibent: ego ſemel poſt eſum talium herbarum incidi in vomitum; cor, colligatis vaſis, expectabat ut [k] exulatum fugeret ex pectore: bona [l] ſcæva fuit, quòd evaſeram mortem; ſed propè erat [m] thermopolium; aquâ cinnamomi hauſtâ, & menthâ, revalui. END. Ego tales coquos dignos puto qui alligentur [n] tintinabulis, & per publicas urbis plateas ulmearum

b Coquorum miniſtri ad lingendas patinas.

c Fœtent.

d Hipposelinum, *Anglicè*, Lovage.

e *Anglicè*, Beets.

f *Anglicè*, Sorrock.

g Noctûrnis avibus.

h Torquent.

i Promiſcuè.

k Paratum fuit ad fugam.

l Bonum omen, auſpicium.

m Ubi aquæ dulces calidæ venduntur, à *θερμῶς calidè*, & *πωλῶ vendo*.

n Vehiculis.



arum virgarum [o] gregibus lacerentur. Sed jam quò properas? APOD. Rectà domum, ut ſalutem uxorem & liberos, útq; tunicam hanc [p] manuleatam exuam. END. Eas, cras tecum colloquar rurſus, & fortè ſuppeditabo argenti nonnihil, quo tibi veſtes novas emas, quamvis totus hic præteritus menſis mihi fuerit [q] cœcus, nec unus in eo dies contigerit oculacus; argentum quidem quotidiè * expenſo, ſed non accepto: præthereà, vereor nè lege [r] quinâ vicenariâ perdam pecunias eas quas mutuò dedi nobili juveni, Senatoris filio, à quo nondum fœnuſculum accepi. APOD. Tibi plurimùm devinctus ſum, nam languentes ſpiritus refeciſti, & in corde meo thermopolium feciſti. ENDEM. Sed, heus tu, cave nè ſis in [ſ] quæſtione cum te arceſſam. APODEM. Meminero; nolo me domo amovere.

o Faſcibus.

p Manicatam.

q In quo non videtur pecunia, cœcus eſt: menſis oculatus, in quo videtur.

* Expendo.

r Hæc lex vetat mutuum dare filio familiâs minoris 25. annis.

ſ Nè quærendus ſis.

## COL. XV.

### E POENULO.

*Acolaſtus. Glycerium.*

SAlve, mea *Glycerium*, mea [a] coluſtra, amica mea [b] mammeata. GLYCER. Et tu [c] viciſſatim ſalve, *Acolaſte* [d] blandidice: hæc tua oratio [e] creta eſt, quam tamen

a Lac novum in mammis.

b Mammoſa, mollibus mammis.

c Viciſsim.

d Blandiloque

e Candida.

tamen aures meæ non libenter devorant. Quid tu Londini jam agis hoc [f] nefaſto tempore? ACOL. Quid agerem hìc [g] comitiali tempore? nihil mihi cum juris coctoribus (doctoribus volui dicere.) Hoc non eſt tempus nefaſtum, ſi tecum fas ſit [h] copulare ſermones & labella. GLYC. Labris utor ad ſermonem, non ad oſcula; utere earum labiis quæ per ea [i] vivunt & colunt. ACOL. Nónne fas eſt amatorculo figere *Glycerio* baſium? GLYC. Minimè gentium, multò minùs *Acolaſto*; hìc aphrodiſia non ſunt: ſi vis *Veneri* ſacrificare, eas Romam; ibi, permiſſu Pontificis [k] pultiphagonidis, luſtrari licet. ACOL. Luſtrationem relinquamus Sacerdotibus. GLYC. Audio ibi jam nullos eſſe Gallos Sacerdotes *Cybelles* cum [l] tympanis, ut olim, ſed poſt luſtrationem referre vaſa ſalva. ACOLAST. Certè [m] mares homines ſunt; ſed [n] ſegregemus ſermonem hunc, & [o] temperemus tinnire voce canorâ in eos qui nolunt nobis facere audientiam: impertire amanti ſuavium. GLYC. Mitte gerras [p] germanas, & lyras lyras; & quia juvenis es, [q] inopioſus conſilii, & ſcitum eſt dictum omne quod per [r] tempus it obviàm; liceat mihi paucis tuæ inſcitiæ conſulere.

f Cum nefas eſt hæc verba enunciare: *Do, Dico, Addico*; Anglicè, Vacation time.
g Terme time.
h Conferre.
i Victum & cultum quærunt.
k Romani, à *pulte*.
l Geſtabant olim tympana Semiviri illi.
m Verè viri.
n Seponamus in aliud tempus.
o Abſtineamus acutè loqui in eos qui non audiunt.
p Veras nugas, & res inanes.
q Inops.
r Quod opportunè uſurpatur.



conſulere. ACOL. Age, permitto; nam boni conſultores pro [f] ſpiſſo eveniunt. GLYC. Tu es adhuc imperitus juvenis, facilè ſeducendus in flagitia, & perniciem tuam, malis conſiliis: hæc urbs ſcatet Paraſitis & Sycophantis, qui linguas [t] biſulcas habent; hìc non deſunt [u] lenunculi, genus hominum dignum quòd tangatur ære militari; hìc ſunt [x] proſedæ, ſeu proſtibulæ; hic ſunt [*] relliquiæ quæ [y] olant [z] ſtabulum, ſellam, & ſeſſibulum, quæ merentur terere corios bubulos in tergis; ſi pecuniis abundas, hìc ſunt nebulones [a] volatici, & tenebriones, qui te emungent, & [b] ludificatui habebunt: ſi hìc maneas, fortunæ in te tendetur baliſta; periculum eſt nè [c] pereas, & redigaris ad [d] incitas: quare, ſi ſapis, nè [e] præter horum os obambules, ſed [f] recentivè te hinc ſubducas, revertaris ad Patrem, vel Athenas ad ſtudia. ACOL. Mallem me Romam recipere ad luſtra. GLYC. Sic ex fumo in flammam incides; ibi omnis nequitiæ [g] baliſtarium eſt, ibi te tanquam prædam captabunt [h] alicariæ, vel [i] ſchœniculæ meretrices, quas non ductares [k] nebu-

f Rarò.
t Bilingues ſunt.
u Lenones, digni ut occidantur gladio.
x Meretrices ante ſtabula ſedentes.
* Aridæ & vetulæ meretrices.
y Quæ oleant.
z Toto die ſtant aut ſedent.
a Fugitivi.
b Ludibrio.
c Pereas.
d Ad inopiam.
e Ante os, in eorum præſentia.
f Statim, repentè.
g Ubi baliſtæ aſſervantur.
h Sedentes ante piſtrina alicariorum; id eſt, eorum qui vendunt alicam, *Angli.* Frumentie.
i Unctæ ſchœno, ſeu unguento nucario peſſimè olente.
k Inani poculo.

læ cyatho, quarum [l] ora nocturna abhorreres, niſi eſſent [m] nimbata, inter quas mera ſorditudo habitat: quædam tam nigræ ſunt quàm [n] Morulæ, atritate repletæ [o] ligulæ ſunt; foris nihil comptius videtur, at domi [p] maſtrugâ veſtiuntur, veſcuntur atro pane & allio; cum videris, putabis te videre hamas pleniores allii [q] vipicique, quàm ſunt Romani remiges: te depilabunt omni pecuniâ, ſcabie hiſpanicâ pulchrè ornabunt; [r] poſtillà, totâ vitâ tibi [ſ] victitandum erit ſorbilo, & tandem pauper [t] abibis ad Acheruntem ſine viatico. ACOLAST. Non tu jam mulſa, ut expectabam, ſed laterculos, ſeſamum, & papaverem loqueris mihi. Ego nolo unum [u] calcem hinc ciere, niſi me oſculo demittas. GLY. Ergo tibi hìc perpetuò manendum eſt; cum enim orcus ab Acherunte [x] mortuos amiſerit, tunc votis tuis reſpondebo: ego mallem me ſub [y] cratem ſupponi, quàm pudicitiam violare; ſemel in Baptiſmo elauta fui, nolo me ſcortatione illautam reddere. ACOL. Digna es odio cum tua religione; puto nullum eſſe lutum te [z] lutulentius: credo tibi fœtidam eſſe animam, quòd verearis os mihi admovere, [a] hals agoras vix te ſuavem reddet. GLY. Sim

l Vultus deformes.
m Fucata.
n Parvæ Mauræ.
o Vilia inſtrumenta, quibus coqui deſpumant ollas ſordentes.
p Veſtis eſt Sardinia fœtida ex luporũ pellibus.
q *Anglicè*, wilde garlicke.
r Poſteà.
ſ Gemere oportet: Metaphora à ſorbentibus.
t Morieris ſine nummo.
u Pedem.
x Id eſt, nunquam. Amiſerit, pro emiſerit.
y Id eſt, ſubmergi, ſuperimpoſitâ crate.
z Te ſordidius.
a Salis acervus.



Sim quicquid ſuggerit tibi ſplendida bilis, *Glycerium* tamen ero, & tu *Acolaſtus*; ſed ſi mihi eſt tam olidus ſpiritus, cur volebas impranſus huc incedere [b] ſeſſum juxta me, & tot verbis ambire oſculum? Ego ſuſpicarer te potiùs olere hircum, cum repletus ſis [c] unguentûm eccheumatis, quaſi [d] unguentariam faceres. ACOL. Heu, mea *Glycerium*, quod dixi imprudentiùs nè in malam accipias partem; neque, ſi quid offendi, plumbeas iras geras, ego equidem jocabar tecum: licèt [e] migdilibs eſſes, licèt corpus haberes [f] aquilum, aut * badiolum, imò, ſi [g] hallex eſſes, & ſi ſalſis [h] muriaticis malè maceratis putidior, non poſſum te tamen non amare. GL. Quæſo nè affectum abjicias in eam quæ neſcit redamare; invenies à me gratiam plumâ leviorem. ACOLAST. Video te in [i] Lautumiis natam, & ipſa robora duritie vincere, alioqui miſerta fuiſſes liberalis juvenis amore tui pereuntis: ego de me decrevi ſumere ſupplicium; aut ad Africa [k] magalia me recipiam, aut in navem galeatam me tradam, ubi tergum ulceribus [l] oſtreatum reddetur. GLY. Potes eſſe miſer, quando voles, domi: quid opus eſt tam longinquum iter ſuſcipere in tuam perniciem?

b Ad ſedendum.
c Unguentorum effuſionibus.
d Hanc artem exerceres.
e Mixta lybs, id eſt, miſti generis.
f Nigrum.
* Badiolum à *Badius*, Ang. Browne coloured, tawnie.
g Piſcis conditi muria.
h Salſamentis.
i In Latomiis.
k Tuguria.
l Durum inæquale.

niciem? Præſtat redire ad muſas tuas, aut rus ad Patrem, qui jam m mergis laborat in conficiendis frugum acervis: ſi tibi eſſet n negotî vis, diverteretur animus à *Venere*;

*Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.*

Incumbe diligenter lectioni Sacrarum literarum; aſsiduis precibus, & crebris jejuniis ferocientem carnem domabis; à vino abſtine, niſi ſit vel dilutum, vel o edentulum; lege *Paulinas*, & *Senecæ* epiſtolas. ACOL. Ego legere ſoleo p literatas fictiles epiſtolas, in quibus literæ ſunt longè q cubitum inter combibones meos. GLYC. O perditum adoleſcentem! quàm præceps ruis ad interitum, ſed r ſpiſsigradiſsimus es ad bonam frugem; in virtutis tramite tardior es quàm ſ corbitæ ſunt in tranquillo mari? An pater te alit in Academia, ut ſic corrumparis, cum in tenera ætate ad virtutem formandus eſſet animus? Undè tibi ſuppetit pecunia? ACOL. Mater mihi indulget, ſed nudius tertius in diverſorio meo ubi pernoctavi, t deglupta quædam Mænas, quæ ſolet u arrâ emere piſa, è pera ſex coronatos aureos ſubduxit clanculùm. GLYC. Multæ tales ſunt veneficæ,

m Mergæ furculæ ſunt, à *mergendo*, quòd immergantur acervis frugum, vel fœni.
n Negotiorum multitudo.
o Pervetus, quod vigorem perdidit.
p Amphoras fictiles literis inſcriptas.
q Longitudine cubiti.
r Valdè tardus.
ſ Naves oneratæ.
t Circumciſa, vel glabra, intana.
u Minimo pretio rem vilem, id eſt, vile ſcortum.



ficæ, ipſis Pœnis o puniores, quæ hoſpites p bolo tangunt: ſi ego mater eſſem tua, nullum aurum tibi ſuppeditarem præter q comicum. Matres plerunque corrumpunt liberos: ſed quid pater interea? ACOL. Ille ſemper monendo, & minando r ravit, cum domi ſum; cum abſens, per epiſtolam mihi ſolet conſulere. GLYC. Sed videtur eumpſe lavare laterem, & oleum cum opera perdere: certè me miſeret illius, qui filium habet ingenio tam pravo præditum: Quid de te fiet, ſi hactenus *Veneri* & vino indulgeas, ſi ſtudia negligas, ſi parentis monita ſpernas? Quid reſtat, niſi ut tandem, omni flagitiorum genere coopertus, in crucem ſ ſuſtollaris? Quare, me monitrice, redeas tandem in viam, dum tempus anniq; ſinunt; nunquam ſera eſt ad bonos mores via: adhuc potes & parentes exhilarare, & teipſum fœlicem reddere; nam quiſquis ſuæ eſt fortunæ faber: &, quia juxta Proverbium, *Qui neſcit viam ad mare, quærat amnem comitem*, en comitem tibi do, qui te & comitabitur, & deducet ad fœlicitatis oceanum. Sunt meditationes & ſoliloquia D. *Auguſtini*, ex his diſces cum Deo colloqui, qui omnis eſt conſilii, ſapientiæ, & bonitatis fons;

poſt-

o [illegible] furiores.
p Hoſpitibus [illegible]am, i. e. argentum auferunt.
q I. e. fictum, adulterinum.
r Ad ravim clamat, rauceſcit.
ſ Surſùm tollaris.

poſtquàm cum Deo crebris precibus con-
traxiſti familiaritatem, incipies ſapere
cœleſtia, & hæc omnia ſublunaria deſpe-
ɑtui habere : neſcis quantâ dulcedine af-
ficietur animus ex rerum cœleſtium amo-
re & meditatione. ACOL. Ego munuſcu-
lum tuum recuſare nolo ; perlegam, &
periculum faciam, quàm vera ſint hæc
quæ narras. GLYC. Dominus Jeſus fa-
veat noſtris conatibus, & ſecundos det
ſucceſſus.

## COL. XVI.

### E PERSA.

# PRANDIUM.

*Pædagogus. Diſcipuli. Puer.*

JAm menſa conſecrata eſt, accumbite
ordine quiſque ſuo ; qui major natu
eſt aſsideat a princeps : Expedite cultros.
Ubi reliqui b coëpuloni veſtri ? DIS.
Nondum egreſsi ſunt ludum. PÆDAG.
An adeò ægrè divelluntur à libris ? I,
*Puer*, voca eos ad prandium: c parùm ſapi-
unt ad genium ; debebant intereſſe con-
ſecrationi ciborum. PUER. Adſunt : di-
cunt ſe non audiviſſe vocem campanulæ.
PÆDAG. Tu d ſcelus puer, nónne hanc
provinciam

a Primus.
b Coëpulones.
c Non ſciunt quomodo genio ſatisfaciendum.
d Sceleſte.



provinciam tibi demandavi, ut tintina-
bulum ante cibum pulſares ? PUER.
Non potui pulſare, quia ruptus eſt fu-
niculus. PÆDAG. Dignus es ut fias
e præferratus, & f Tribunus vapularis.
PUER. Certè hæc ſervorum militia me
diu jam habet g exercitum ; h cata-
pultis ulmeis ſatis aſſuefactus ſum : uti-
nam adeſſent i eleutheria, nam tædet me
hujus k ſtabuli ſervitritii. PÆDAGOG.
Tace, l nugipolyloquides, niſi vis ite-
rum à prandio m ſubiculum flagri fieri,
ut piſtrinorum * civitates. PU. Ergóne
n perenni-ſervus ero, & o ulmitriba
perpetuò ? *Herculis* labores inferiores
ſunt meis. PÆDAG. p Fruſtum viri, &
in nuptiis repudioſis nate : A prandio
te manu mittam, ſed primùm tergo tuo
† erit ; nam poſtquàm Atrienſis tibi nates
q expunxerit, foribus excludet, tunc r a-
lienum cœnabis ; ſi hoc moleſtè feras, ti-
bi licebit inducere injuriarum actionem :
in hâc re nolo ſ inconciliare, ſi libido
eſt t cœpere. PUER. Spero te nolle me
demittere nudum, ſed u peculiaturum,
cum hactenùs inſerviendo tibi jam fermè
ſexennium nihil x compendi feci ; for-
tuna nunquam adhuc faculam lucrificam
alluxit : plagas ſæpe accepi, & logos, ſed
non

e Ferro vinctus.
f Ut occuperis in ferendis verberibus, ut Tribuni in militia.
g Diu agitat & exercet.
h Virgis.
i Dies feſtus ob libertatem partam.
k Vitæ ſervitute tritæ.
l Qui multas nugas loqueris.
m Subjici flagro.
* Ut ii qui incolunt piſtrina.
n Semper ſervus.
o Qui terit ulmos in corio cum cæditur.
p Parve vir.
† Malè erit.
q Depilaverit, excoriaverit.
r Alienum cibum comedes
ſ Adverſari.
t Incipere.
u Peculio ornaturum.
x Lucrifeci.

poſtquàm cum Deo crebris precibus contraxiſti familiaritatem, incipies ſapere cœleſtia, & hæc omnia ſublunaria deſpectui habere : neſcis quantâ dulcedine afficietur animus ex rerum cœleſtium amore & meditatione. ACOL. Ego munuſculum tuum recuſare nolo ; perlegam, & periculum faciam, quàm vera ſint hæc quæ narras. GLYC. Dominus Jeſus faveat noſtris conatibus, & ſecundos det ſucceſſus.

## COL. XVI.

### E PERSA.

# PRANDIUM.

*Pædagogus. Diſcipuli. Puer.*

JAm menſa conſecrata eſt, accumbite ordine quiſque ſuo ; qui major natu eſt aſsideat a princeps : Expedite cultros. Ubi reliqui b coëpuloni veſtri ? DIS. Nondum egreſsi ſunt ludum. PÆDAG. An adeò ægrè divelluntur à libris ? I, *Puer*, voca eos ad prandium: c parùm ſapiunt ad genium ; debebant intereſſe conſecrationi ciborum. PUER. Adſunt : dicunt ſe non audiviſſe vocem campanulæ. PÆDAG. Tu d ſcelus puer, nónne hanc provinciam

a Primus.
b Coëpulones.
c Non ſciunt quomodo genio ſatisfaciendum.
d Sceleſte.



provinciam tibi demandavi, ut tintinabulum ante cibum pulſares ? PUER. b Non potui pulſare, quia ruptus eſt funiculus. PÆDAG. Dignus es ut fias e præferratus, & f Tribunus vapularis. PUER. Certè hæc ſervorum militia me diu jam habet g exercitum ; h catapultis ulmeis ſatis aſſuefactus ſum : utinam adeſſent i eleutheria, nam tædet me hujus k ſtabuli ſervitritii. PÆDAGOG. Tace, l nugipolyloquides, niſi vis iterum à prandio m ſubiculum flagri fieri, ut piſtrinorum * civitates. PU. Ergóne n perenni-ſervus ero, & o ulmitriba perpetuò ? *Herculis* labores inferiores ſunt meis. PÆDAG. p Fruſtum viri, & in nuptiis repudioſis nate : A prandio te manu mittam, ſed primùm tergo tuo † erit ; nam poſtquàm Atrienſis tibi nates q expunxerit, foribus excludet, tunc r alienum cœnabis ; ſi hoc moleſtè feras, tibi licebit inducere injuriarum actionem : in hâc re nolo ſ inconciliare, ſi libido eſt t cœpere. PUER. Spero te nolle me demittere nudum, ſed u peculiaturum, cum hactenùs inſerviendo tibi jam fermè ſexennium nihil x compendi feci ; fortuna nunquam adhuc faculam lucrificam alluxit : plagas ſæpe accepi, & logos, ſed non

e Ferro vinctus.
f Ut occuperis in ferendis verberibus, ut Tribuni in militia.
g Diu agitat & exercet.
h Virgis.
i Dies feſtus ob libertatem partam.
k Vitæ ſervitute tritæ.
l Qui multas nugas loqueris.
m Subjici flagro.
* Ut ii qui incolunt piſtrina.
n Semper ſervus.
o Qui terit ulmos in corio cum cæditur.
p Parve vir.
† Malè erit.
q Depilaverit, excoriaverit.
r Alienum cibum comedes
ſ Adverſari.
t Incipere.
u Peculio ornaturum.
x Lucrifeci.

non nummos. PÆDAG. Aquam è pumice petis, & fruſtrà y albo rete oppugnas crumenam meam, neque poteris z exterebrare nummum. PUER. Quid igitur vis faciam? PÆDAG. Ut primò vapules, dein, ut a bardum illud ingenium exuas; poſtideà, ut quod ſupereſt temporis ſervitutis tuæ, fide & taciturnitate tranſigas: nam tibi fides eſt b ſubleſtior, levifidus es, tipulæ non levius pondus. PUE. Remitte igitur hanc noxam, & in omnibus rebus me tibi morigerum invenies: videbis me c prognariter facturum officium; nam non cupio iterum incidere in manus illius d morticini Atrienſis, qui me non ita pridem, ob leviſsimam culpam, dolis duxit in e tranſennam, & virgis ulmeis tergum excoriavit. PÆDAG. Agè, remitto; ſed hac lege atque omine, ut ites pollicitis, & officium facias; alioqui corio tuo inevitabile malum excoques: intereà, f ampullam huc adfer ex g apotheca, & h ſcaphium reple cerviſiâ: agite, mî Diſcipuli, edite, dum ventris i focula fumant: qui delectantur frigidis, ſibi ſumant; frigida enim æſtate quibuſdam plùs arrident, & meliùs k oppectuntur: hoc jus epicrocum tenue admodum eſt, l jure-

y Sub honeſtâ ſpecie captas.
z Vi extorquere.
a Tardum.
b Infirmior.
c Strenuè.
d Cadaveroſâ facie.
e In laqueum.
f Olearium vas.
g Abaco.
h Vas unde bibitur.
i Nutrimenta.
k Manibus quaſi pectinibus carpuntur & diſcerpuntur.



l juream eſſe decebat: quidam tamen mallent hoc quod in m veſicam, quàm quod in ventrem it. Vide, *Puer*, an ſit aqua in n ſcutris quâ temperetur vinum, & o calamum injice vino. Tu, nepotule, an menſæ incumbis? Sede erecto corpore: quid ita p turbicinaris? Feſtina lentè, nè tangas q cauſeam inter edendum; nè pingui carnium inficias, nève capilli devolent in patinas. *Piſo*, nolo te hìc in menſa r vitulari, nè fortè mox ſ affleas: reverentiam volo in menſa & modeſtiam; qui ſecùs geſſerit ſe hìc, rejiciendum cenſeo cum bobus in t bubilem. *Nugo*, quid nugaris? Hoc eſt prandium Pythagoricum, tibi tacendum eſt. Quid autem, quaſi dominaſter, ſedes u auſatus, & ſubnixis alis. At, *Dromo*, quis crederet te eſſe tam x matulam, qui manicis labra abſtergas? An tibi deeſt mantile? Quis poteſt y traloqui tuas impuritias? Hæc z collyphia palato grata deſunt: demiror Atrienſem non a deſtinaviſſe plura. PUER. Hodiè manè vidi in foro tria b ſarraca horum plena, pretii tolerabilis; erant etiam c collyriæ, d ſtrethea, e coluthea, aliáque complura, quæ tamen ille nolebat emere, licèt vili pretio oblata. Si, Magiſter, ille

tam

l Spiſſum, ut placenta.
m Id eſt, liquida quàm ſolida.
n In vaſis, in ſcutellis.
o Odoratum.
p Raptim voras.
q Pileum.
r Laſcivire.
ſ Fleas.
t In bovile.
u Lacertis ſublatis, & manibus ad latus admotis.
x Tam ſordidum.
y A Principio loqui.
z Panes cum recenti caſeo mixti.
a Emiſſe.
b Vehicula.
c Panes oleo conſperſi.
d Quinces, *Anglicè*.
e Tragemata.

tam notus eſſet tibi quàm mihi; ſi ſcires quibus modis te fallit, ſtatim exigeres eum ex [f] decuria: ſolet [g] aſtu tibi imponere. PÆDAG. Tace, nebulo; túne hactenus diſcis [h] quadruplari? Tibi ſidem neutiquam adhibeo, cum hactenus te in manifeſto deprehenderim mendacio, quando non ita pridem eum apud me accuſares [i] incubatus, quo vitio nullum deteſtabilius. Quidam eſt hujus flagitii reus, jam in ferreis catenis, unà cum fele [k] virginariâ; cras, ut audio, paſſuri ſunt vivicomburium. PUER. Imò unus eorum hactenus Orcum adiit. PÆDAG. Quomodò hoc contigit? PU. Dicunt cuſtodem carceris pecuniâ correptum, illi bibendum dediſſe, quod nunquam eum [*] tranſiit. PÆDA. Audíſne pultari oſtium? Vide quiſnam ſit. PU. Eſt tabellarius quidam, qui dicit ſe attuliſſe ad te [l] abietem obſignatam; eſt etiam alter circumforaneus ſaltator, qui [m] paſſerem marinum habet oſtendendum nummo; dicit etiam ſe ſaltare velle [n] ſtaticulum. PÆDAG. Apagè otioſum ventrem; hujuſmodi ſunt oneri, non uſui Reipublicæ: jube ut honeſtæ alicui vocationi ſe applicet, quâ victum & amictum ſibi quærat, útque laboret officiis pie-

[f] Ex officio, ex dignitate expelleres.
[g] Callidè.
[h] Delator eſſe.
[i] Pædicatus.
[k] Raptore virginum.
[*] Venenum.
[l] Epiſtolam abiegnam.
[m] Struthiocamelum.
[n] Choreæ genus ſtatarium.



pietatis, quibus cibum [o] perennitatis adipiſcatur. Heus, tu *Corydon*, qui ſedes in [p] hemicyclo, quid ſibi vult illa [q] oſcedo in menſa, & [r] pandiculatio? Putáſne te jam in caula verſari? Sede corpore erecto, non verò, ut ſoles, [ſ] obſtipo capite, aut [t] cernuus. Tu verò, [u] *Longurio*, ſedes quaſi [x] pterugodes eſſes aut alatus: admone *Pumilionem*, vicinum tuum, ut dextrâ utatur, non ſiniſtrâ, nè ſcæva, vel ſcævola vocetur. *Puer*, effunde in ſcutellam hanc plus aceti ex [y] nimbo vitreo, & reple [z] ooſcyphium illud cerviſiâ lupulatâ; operculato culullum iſtud quadrâ vel orbe, nè pulvis ſe immiſceat potui noſtro, aut incidat aranea. Ubi ſunt oculi tui, Furcifer? Túne [a] pætus es? Nónne vides deeſſe hìc vinum? An omnes orcas & ſerias relevimus? Accipe ocyùs [b] epiſtomium & [c] ſiphunculum, & perforato recentem cadum aut cupam; nam hoc vinum quod imbibimus videtur meo palato ſubacidum eſſe: ſubjicito excipulum, nè quid liquoris inter promendum pereat; aufer hoc oxybaphum ſeu acetabulum, tolle catinos, lances, & paropſides ordine; mitte œnophorum in [d] aquinarium, ut refrigeretur vinum; appone fructus & [e] hypotrymmata.

[o] Perennem.
[p] In ſella ſemirotunda.
[q] Oſcitatio.
[r] Membrorum extenſio.
[ſ] Collo rigido, & capite in alteram partem inclinante.
[t] Pronus.
[u] Ineptè longus.
[x] Cui ſcapulæ extant.
[y] Vas vitreum anguſti oris.
[z] Poculum oblongum, in ovi formam.
[a] Qui rotantes habet oculos.
[b] *Anglicè*, The cocke, or ſpiggot.
[c] The faucet.
[d] Vas aquarium.
[e] Bellaria ſaccarata.

potrymmata. Hortus noſter ſuppeditat omnia pomorum genera, [f] decumana, nana, præcocia, ſerotina, fugacia, muſtea, chryſomela, ſanguinea, [g] claudiana, pyra [h] volema, regia, perſica, [i] armeniaca, ceraſa, pruna, nuces, avellanos, baſilicas, mora, caſtanea, fraga, ſorba, [k] mora rubi, ficus, meſpilla, racemos, uvas corinthiacas, criſpas, &c. Pueri, ſi pranſi eſtis, ſurgite reverenter à menſa; agite gratias, & deambulate in viridario, donec campana vos in ſcholam revocaverit; nè autem ambulate in ſole, nè forte cauſus vos corripiat, aut cephalia, aut odontalgia.

[f] Grandia, parva, præcoqua, &c.
[g] *Anglicè*, Queene Apples: Muſtea, St. Johns Apples.
[h] Pear-wardens.
[i] Apricockes
[k] Raſpices.

## COL. XVII.

### E RUDENTE.

*Georgus. Alimus.*

SI hæc vera ſunt quæ narras, ego nolo vehi equo ligneo per vias cæruleas. ALIM. Immò, [a] nimiò minùs narravi quàm ſunt; neſcis quot [b] exanimales curæ comitentur vitam nauticam. GEOR. Multa præ timore [c] coruſca fabulatus es. ALIM. Ex his quæ audiviſti conjicere potes quàm formidabilis ſit navigantium vita, quantiſque periculis obnoxii ſunt [d] conchy-

[a] Multò minùs.
[b] Quæ exanimant.
[c] Criſpantia, trepidantia.



[d] conchytæ & hamiotæ. GEORG. Mihi nunquam arriſit piſcatus, nec hamatilis, nec ſaxatilis. Gula & avaritia coëgerunt homines ſe *Neptuno* committere. Cur Deus [e] diſparat mare à terra, & [f] ſcammoſum pecus ab hominibus & quadrupedibus, ſi fas eſſet homini impunè navigare?

*Nequicquam Deus abſcidit*
*Prudens oceano diſſociabili*
*Terras, ſi tamen impia* (*vada.*
*Non tangenda rates tranſiliunt*

ALIM. At Deus docuit *Noahum* navigandi artem: ipſe *Chriſtus* etiam ſæpe navem conſcendit, & [g] proretâ docuit populum; ſæpe mare Tiberiadis trajecit. Sine navigatione non potuerunt Indi cognitionem Evangelicam [h] apiſci; nec nobis poſſibile fuit [i] fruiſci commodis illis, quæ utraque ſuppeditat India. Navigationis beneficio habemus medicamenta [k] cathartica, cardiaca, therapeutica, quæ noſtræ regiones ignorabant. [l] Maguderis, teſte *Dioſcoride*, *Theophraſto*, & *Galeno*, ſugillatis, ſtrumis, tuberculis, ſchiadicis, & veneno infectis conducit; ut nihil dicam de reliquis, nec de earum artium cognitione, quas ab exteris gentibus didicimus. GEORG. At invecta ſunt exoticis cum mercimoniis illarum

[d] Qui conchas legunt, & piſces capiunt hamo.
[e] Separat.
[f] Piſces.
[g] Qui ſtat, aut ſedet in prora.
[h] Adipiſci.
[i] Frui.
[k] Purgativa, cordalia, ſanativa.
[l] Radix laſerpitii.

larum gentium vitia; nempè, ebrietas, idololatria, gula, ſuperbia, &c. Didicimus à Germanis & Græcis bibere [m] amincæis; à Romanis ſuperſtitioſa [n] ſupplicioru genera habemus; ab Italis didicerunt noſtræ fœminæ corpora [o] ſubvulturia cretâ & ceruſsâ pingere, ut appareant [p] polluctæ & pagis & urbibus. Multi ſunt, cum domum redeunt, qui nullum alium ſuæ peregrinationis fructum referunt, nihil aliud mercedis [q] indepiſcuntur, niſi peregrinos modos [r] pollucti in ædibus, & luxuriæ in veſtibus; &, quod pejus eſt, invehendo novas opiniones, ſeditionis ignem conflant, religionem, & viros pios [ſ] ludos peſſimos demittunt; [t] legirupionem faciunt, rem ſuam in ſcorta, & in eos qui ſe locant pro [u] manducis miſerè effundunt: ſi autem ab his quid roges, quod in pauperes, aut alios pios uſus erogetur, [x] ciccum non interduint. Quidam nimiâ *Veneris* & vini intemperantiâ hellemiâ... borosi fiunt; paraſiti eos exugunt, ut pericillus novos exugeri ſolet; ſic ut [y] ſacciperia à parentibus relicta diſtenta, ſtatim exinaniant, & ſe [z] præcipes in omnem miſeriam repellunt. Præterea, novum morbi genus ex America, veteribus inco-

m Capacibus poculis, inſtar urnæ.
n Supplicationum.
o Subnigra.
p Comptæ, & nitidæ, expoſitæ paganis, ſeu ruſticanis & urbanis. Pollucere, ad *Herculis* ſacra pertinet.
q Adipiſcuntur.
r Apparatus opipari.
ſ Ludibrio habitos.
t Legum ruptionem.
u Edacibus: Manduco etiam fuit effigies ridicula in pompis ferri ſolita.
x Interim floccum non dederint. Ciccum eſt membrana mali punici diſtinguens cellulas.
y Peræ ex ſacco.
z Præcipites.



incognitum, in noſtram patriam invectum eſt. ALIM. Hæc vitia, quæ narras, non imputanda ſunt navigationi, ſed navigantium corruptis moribus; ſunt enim quædam [a] flagitii flagrantiæ, quæ peregrinatione non redduntur meliores, nam

*Cœlum, non animum mutat qui*
*trans mare currit.*

Si imperitus, aut malus medicus occidat hominem, an propterea damnanda eſt Medicina? Non omnes qui navigant erga patriam ſe [b] impiant. GEORG. At *Neptunus* periculorum plenus eſt,

*Qualia multa mari nautæ*
*patiuntur in alto*?

Quot ſunt, qui non ſolùm in mari [c] eluunt, quibus mercium [d] exagoga rarò ſalva venit; qui non tantùm bonorum, ſed vitæ etiam jacturam faciunt? ALIM. Fateor:

*Plurima nam latus triſtia pontus habet*;

divinum tamen imperium non minùs cernitur in mari, quàm in terra. Nónne *Chriſtus* imperavit undis & ventis, cum diſcipuli exclamant præ timore ſubmerſionis,

*Præſentemq; viris intentant*
*omnia mortem*?

 Non

a Flagitio flagrantes.
b In patriam impii ſunt.
c Bona perdunt.
d Exportatio

Non ſolùm in magnis tempeſtatibus ex mari in portum [e] ſalute horiæ redeo, ſed etiam præter ſpem Deus me ſæpe [f] compotivit uberi piſcatu. Quoties [g] gaulum meum fluctus ad ſyrtes & vada afflixit, ut piſcator *Polypum*? Quoties ciſtellam [h] caudeam in mare dejicere, & malum ad thecam uſque [i] exſicare coactus ſum? Ego tamen precibus [k] hoſtiatus incolumis evaſi. GEORG. Quot annos piſcaturam exercuiſti? ALIM. Penè totam vitam inter undas trivi; nam pater me [l] trinum ſecum ad mare duxit, & jam implevi annum ſeptuageſimum. Sæpe aceto & ſale pranſus ſum ſine pulmento bono: jam ultrà quinquaginta annos duram [m] ſervientiam toleravi, ſæpe mihi colaphos in cerebro abſtruſit herus, quos ſine murmurillo paſſus ſum; [n] comiter enim à me facta ſunt, quò non copia valebat. Semel mihi malas [o] edentavit; ſæpe me fecit follem [p] pugillatorium, & pugnis incurſavit: ſpatio decem annorum ulmeam [q] virgidemiam in me inſumpſit; habeo in tergo adhuc [r] offerumentas multas, adhuc tamen vivo & vigeo, & tyrannus ille jamdiu in orco computruit. GEORG. An non hero tuo nomen fuit [ſ] *Silenus*, admodum [t] ſtatutus,

[e] Nave piſcatoriâ ſalvâ.
[f] Compotem fecit.
[g] Navis penè rotunda, & poculum ad hujus formam.
[h] Ligneam.
[i] Exſecare.
[k] Precum hoſtiis inſtructus.
[l] Tres annos natum.
[m] Servitutem.
[n] Comitate uſus ſum, cum mihi non fuerat copia.
[o] Dentibus orbavit.
[p] Quem pugiles pugnis cædunt.
[q] Quaſi virgarum vindemiam.
[r] Vibices verberum oblatas. Offerrumenta ſunt quæ offeruntur.
[ſ] Id eſt, ſimis naribus, inſtar *Sileni*.
[t] Staturæ magnæ.



tus, qui [u] tegillum geſtare ſolebat? Habitabat in platea regia, è regione [x] aulæ extaris. AL. Ille ipſe fuit. GE. Memini olim furem illi ſurripuiſſe clanculùm magnam vim auri, [y] ſeorsùs in paſceolo abſconditam. ALIM. Vera narras; ille fur poſtea apprehenſus, miſſus eſt in [z] columbarium, & exinde actus in crucem fuit. GEORG. Sed quomodo Acheruntem petiit herus tuus? ALIM. Non ſiccâ morte, nam occiſus eſt à combibone quodam ebrio, qui [a] epichyſin in cerebrum impegerat, ob neſcio quæ jurgia inter eos nata ſuper vino. GEORG. Hic eſt fructus ebrietatis; neque immeritò vocatur *Bacchus* crudelis, & vinum dicitur carere clavo. ALIM. Herus meus, *Silenus*, huic vitio fuit totus mancipatus; nam nunquam [b] ſiccè petebat lectum; immò, ſæpe gravante crapulâ pulmoneum vomitum vomebat, & vinum ſine modo hauſtum frequenter alvum [c] prodiſparavit, nec unquam habuit oculos ſiccos à lippitudine. GEOR. Ebrietas eſt omnium penè morborum parens; ſic etiam rixarum, cædium, inopiæ, &, quod pejus eſt, ipſius animæ, & temporis jacturæ. A. Rectè, cum ex ebrietate naſcantur tot incommoda, nullum tamen vitium difficiliùs curatur.

[u] Cucullum ex ſcirpo factum.
[x] Olla in qua coquebantur exta.
[y] Seorſum in ſacculo ex aluta, ſeu molli corio.
[z] Locus ſeu foramina unde malefici colla exerunt.
[a] Anglicè, A flagon.
[b] Sobriè.
[c] Diſſolvit, diſtraxit, diſtorſit.

GEORG. Verum; ſed hoc fit nimiâ impunitate; ſi enim parentes, & magiſtratus ſeveriùs animadverterent in ebrios, pauciores huic vitio dediti eſſent. ALIM. Quomodo poſſunt hi ſeverè illud in aliis punire, quod ſuo exemplo comprobant?

*Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.*

Certè, ſi mihi eſſet filius vino captus, aut ſervus, ego ſobrios redderem circumvinciendo in virgis ut [d] murteta, aut meſſem in ore facerem [e] mergis pugneis. GEORG. Utinam Sequeſter eſſes, aut Cenſor in villa noſtra, ubi ebrietas regnat penè quotidiè, ſed præcipuè diebus Dominicis, atque etiam actionis rei divinæ tempore. ALIM. Nullâſne leges habetis adversùs talem profanationem? GEORG. Habemus leges, ſed ſunt quaſi [f] tramæ putridæ, ſeu aranearum telæ; paſtores etiam non ceſſant Dei judicia in tales denunciare, ſed eorum verba ſunt [g] tinnimentum auribus: nè [h] poſtules juniores obtemperaturos legibus, niſi nos, qui provectioris ætatis ſumus, [i] capſimus, bono noſtro exemplo, viam præire. Sed quid interea factum eſt homicidæ? ALIM. Ille ad aram *Veneris*, tanquam ad aſylum

d Ut myrteta vinciuntur juncis.
e Dentes excuterem pugnis. Mergæ furculæ ſunt.
f Putrida fila.
g Inſtrumentum quo aures tinniunt.
h Nè putes, nè cenſeas.
i Cœperimus.



aſylum confugerat: ſed [k] *Vulcanus*, *Veneris* adverſarius, eum inde depulit; mox capitali ſupplicio affectus eſt. GEORG. Sed ad propoſitum revertamur; cum tot maris incommoda ſcias,

—— *Cur te*
*Expertæ toties tam malè credis aquæ?*

Nónne piſcator ictus ſapiet? ALI. Scio Deum habere

— *imperium pelagi, ſævumq́, tridentem*,

nihilque poſſe ibi contingere ſine ejus providentiâ; neque immuniores eſſe à morte illos qui in terra habitant, quàm qui in mari navigant. Decet ut quiſque Spartam quam nactus eſt colat: ad piſcaturam vocatus ſum, hæc mea eſt Sparta; neque in hac meum ſolùm commodum ſpecto, ſed reipublicæ utilitatem, quæ ſine piſcatione & navigatione ſubſiſtere aut florere nequit. Nónne Deus poteſtatem homini conceſſit in piſces maris, æquè ac in quadrupedes terræ? quare nè mireris ſi toties *Neptunum* repeto. Non mediocri afficior voluptate, cum video

—— *tot millia gentis*
*Squamigeræ tremulâ per ſtagna liquentia caudâ*
*Exultantia*; ——

k Quia igne & fumo removebantur ab ara Veneris qui eam amplexi ſunt, quos vi avellere inde nefas fuit.

*— tot monſtra ingentia, & horrida viſu,*
*Veliferas circum puppes, tot grandia Cete,*
*Dum fingunt molles vitreo ſub marmore luſus.*

GEORG. At vos nautæ nunquam perſuaſionibus veſtris l invitâſſitis me ut animam ventis committam, doloſo confiſus ligno,

l Invitaveritis.

*— digitis à morte remotis*
*Quattuor, aut ſeptem, quâ ſit latiſſima tæda.*

Ego illum m donabilem infortunio eſſe cenſeo,

m Dignum.

*— qui vult illi confidere monſtro,*
& ſe credere fallacibus auſtris,
*Cum cœli toties deceptus fraude ſereni eſt.*

ALIM. Ego novi genus hominum eſſe,

*— quod Attalicis conditionibus*
*Nunquam dimoveas, ut trabe Cypriâ*
*Myrtoum pavidus nauta ſecet mare.*

Sed n hydrophobi iſti nimiùm diffidunt Dei providentiæ aut potentiæ,

n Aquam metuentes.

*Qui mulcere poteſt fluctus, & tollere vento;*

qui



qui potuit *Paulum*, licèt navi fractâ, incolumem tamen cum ſociis in littus exponere. GEORG. At ego juramento me obſtrinxi, nunquam me navigaturum. AL. Omnis temerarii & illiciti jurisjurandi debet fieri o gratiâ: ſed mihi properandum eſt ad p naupegum, ut navim meam q orariam reficiat, & lembum, nam fori reparandi ſunt, & in r modium novus malus inſerendus eſt: præterea, commiſſuras navis ſ ferruminare oportet muſci comâ. GEORG. Nónne ſoles ſentinare navim? ALIM. Sæpiſſimè; alioqui actum eſſet de navi & vectoribus, cum per rimas marina aqua imbibitur: propterea in quâque nave t antlia eſt, quâ exinanitur nautea, & aqua aliquando per rimas ſugitur, quandoque per u columbaria erumpit. GEORG. Sed quomodo adverſum æſtum ſuperare poteſtis remis? ALIM. Velis etiam utimur; eſt enim in unaquaque nave x acatium ſeu artemon, y dolon, z thoracium; præterea, ſi langueſcit ventus, ſiparum: adjicitur etiam infimæ veli parti orthiax, tanquam appendix. Pedem habemus ad transferendum velum, quo etiam utimur ad danda & deducenda carbaſa ad obliquandum curſum: habemus clavum quo gubernatur navis;

o Debet remitti Juramentum.
p Navis fabrum.
q Quæ oram legit.
r Locus eſt in quem malus immittitur.
ſ Infarcire ſtuppa.
t Machina hauſtoria.
u Foramina, per quæ remi emittuntur.
x Majus velum
y Minus velum ad proram.
z Velum in ſummo malo.

— *tot monſtra ingentia, & horrida viſu,*
*Veliferas circum puppes, tot grandia Cete,*
*Dum fingunt molles vitreo ſub marmore luſus.*

GEORG. At vos nautæ nunquam perſuaſionibus veſtris [l] invitâſſitis me ut animam ventis committam, doloſo confiſus ligno,

— *digitis à morte remotis*
*Quattuor, aut ſeptem, quâ ſit latiſſima tæda.*

Ego illum [m] donabilem infortunio eſſe cenſeo,

— *qui vult illi confidere monſtro,*
& ſe credere fallacibus auſtris,
*Cum cœli toties deceptus fraude ſereni eſt.*

ALIM. Ego novi genus hominum eſſe,

— *quod Attalicis conditionibus*
*Nunquam dimoveas, ut trabe Cypriâ*
*Myrtoum pavidus nauta ſecet mare.*

Sed [n] hydrophobi iſti nimium diffidunt Dei providentiæ aut potentiæ,

*Qui mulcere poteſt fluctus, & tollere vento;*

qui

- l Invitaveritis.
- m Dignum.
- n Aquam metuentes.



qui potuit *Paulum*, licèt navi fractâ, incolumem tamen cum ſociis in littus exponere. GEORG. At ego juramento me obſtrinxi, nunquam me navigaturum. AL. Omnis temerarii & illiciti jurisjurandi debet fieri [o] gratiâ: ſed mihi properandum eſt ad [p] naupegum, ut navim meam [q] orariam reficiat, & lembum, nam fori reparandi ſunt, & in [r] modium novus malus inferendus eſt: præterea, commiſſuras navis [ſ] ferruminare oportet muſci comâ. GEORG. Nónne ſoles ſentinare navim? ALIM. Sæpiſſimè; alioqui actum eſſet de navi & vectoribus, cum per rimas marina aqua imbibitur: propterea in quâque nave [t] antlia eſt, quâ exinanitur nautea, & aqua aliquando per rimas ſugitur, quandoque per [u] columbaria erumpit. GEORG. Sed quomodo adverſum æſtum ſuperare poteſtis remis? ALIM. Velis etiam utimur; eſt enim in unaquaque nave [x] acatium ſeu artemon, [y] dolon, [z] thoracium; præterea, ſi langueſcit ventus, ſiparum: adjicitur etiam infimæ veli parti orthiax, tanquam appendix. Pedem habemus ad transferendum velum, quo etiam utimur ad danda & deducenda carbaſa ad obliquandum curſum: habemus clavum quo gubernatur navis;

- o Debet remitti Juramentum.
- p Navis fabrum.
- q Quæ oram legit.
- r Locus eſt in quem malus immittitur.
- ſ Infarcire ſtuppa.
- t Machina hauſtoria.
- u Foramina, per quæ remi emittuntur.
- x Majus velum.
- y Minus velum ad proram.
- z Velum in ſummo malo.

navis; ſunt conti & trudes quibus naves vado inhærentes impelluntur, ut nihil dicam de anchoris, [a] bolide, [b] apluſtri, pyxide nauticâ. GEORG. Hæc vocabula mihi non minùs formidabilia ſunt, quàm ipſum mare; novi quid ſit [c] vomis, [d] buris, [e] ſtiva, pala, ligo, ſarculum, [f] runcina: quare vale; ſulcato tu

*—vada ſalſa carinâ,*

ego in plauſtro meo domum navigabo.

[a] Quo fundum maris exploramus.
[b] Vexillum eſt in ſummo malo.
[c] Dens aratri.
[d] Curvamen.
[e] Manica.
[f] Ligo exſcindendis dumetis.

## COL. XVIII.
### E STYCHO.
### *Herus.* *Servus.*

SI jure tecum agerem, & pro meritis tuis, [a] quot calendis commonefacerem te tui officii [b] monumentis bubulis? SER. Quare, mi *Here*? Quid feci, aut commerui? HER. Quia nemo te [c] nequitior eſt, nemo magis ſocordiæ & ignaviæ deditus; nam in æde mea, cum [d] quicque ſupellectilis niteſcere debeat, omnia ſitu, rubigine, & pulvere obducta jacent: quotidiè Sol radioſus ſuperat ſeſe ex mari, priuſquàm tu à nido divelli potes; neque unquam meis dictis es [e] auceps auribus: emi te puerum [f] pauxillum; brevì [g] eleutheriam tibi daturus eram, niſi me perverſis tuis moribus [h] affeciſ-

[a] Singulis menſibus, ne quotidiè.
[b] Admonerem loris.
[c] Nequior.
[d] Quæque ſupellex.
[e] Audis, capis mea dicta.
[f] Parvum.
[g] Libertatem.
[h] Feciſſes triſtem.



feciſſes ægrimoniâ. SER. Utra conditio hominis, ſervi an aſini, ſit [i] penſior, me adhuc latet: nam aſini aut equi, poſtquàm laſſi redierunt domum, deducuntur in ſtabulum, iis ſubſternitur fœnum, & avenæ præbentur, fricantur, pectuntur, & aqua munda potanda exhibetur; at nobis ſervis, licèt aſsiduis laboribus [k] perbitit medullas laſſitudo, nihil expectandum eſt præter jurgia, famem, & verbera: decem jam annos tibi inſervivi, & cum decuma pars *Herculi* [l] pollucea offerebatur, me tamen fames ex [m] ſemine elephanti opprimit, quaſi fame natus eſſem. [n] Quærito explementum inanimentis, ſed fruſtrà: ſatur quidem fieri licet ad nauſeam uſq; plagis, ſed non cibis; cum tu interea unctionibus [o] malacis, & crapulariis indiès utaris, cibum opiparum contruncas, lavaris in [p] pyelo, œnopolia & cauponas frequentas, eò cum combibonibus ſæpe [q] condicis in ſymbolam ad cœnam per me, quando mihi interea cum muribus jejunandum ſit domi, ubi citiùs onerabo gulam potione [r] vinceâ quàm vineâ. HER. Túne, carnifex, audes *Hero* exprobrare ea quorum ipſe reus es?
*Clodius accuſat mœchos? Catilina Cethegum?*
Nemo [s] diſertim te uno mendacior, & edaci-

[i] Sit melior, ponderoſior.
[k] Conſumit.
[l] Opipara pars eſculentorum.
[m] Decennis.
[n] Sæpe quæro explere inania.
[o] Mollibus, & crapulâ laborantibus datis.
[p] In vaſe balneario.
[q] Denuncias per me, datâ ſymbolâ, te ad cœnam illuc venturum.
[r] Laqueo, à vinciendo.
[s] Planè, certè.

t Obfirmato animo urgebis
u Vænalem.

edacior: Túne t offirmabis adversùm nos? Linguam tuam u venditariam exſcindam, & oculos illos quibus mea vitia x excolubras. y Proveniſti huc accuſatum me futile: tu quereris duram eſſe ſervorum conditionem, quum plerunque hi multò ſuaviùs vivant quàm ipſi domini; exules eſtis ægritudinis omnis, cum animis noſtris ſæpe ægritudo obviàm eſt; tu z multâſti miſerias ſervorum, ego dominorum noſtrum pondus; præterea dormitis ſine omni curâ aut moleſtiâ, nos ſolicitudines etiam noctu vexant: quare,

x Oculis acutis & ſerpentinis exquiris.
y Prodiiſti fruſtrà. Futile eſt vas veſtale, lato ore, fundo anguſto.
z Numerâſti.

*Non poſſidentem multa, vocaveris*
*Ritè beatum.* Vos non impenditis * publicum, ut nos, qui aſſiduè erogamus pecunias in uſus publicos & privatos; noſtris enim humeris & rei domeſticæ, & rei publicæ cura incumbit: vos bibitis è a Samiolis poteriis, nos è gemmeis aut aureis, at propterea non eſt noſter potus veſtro ſapidior; immò, plus ſæpe voluptatis & delectamenti capit mendicus potans aquam è b naſiterna, quàm rex c monotrophos hauriens * liquidum *Liberum*, aut aromatiten ex aureo d triblio, aut baliolâ argenteâ. Aqua illa putealis turbida, quam in fuga bibit *Darius*, gratior fuit ejus ſitienti & arido palato,

* Non penditis tributum quod publicani conducunt.
a E vaſis fictilibus.
b Vas aquarium anſatum.
c Edens ſolus.
* Vinum defæcatum.
d Ex patella, aut hujus generis poculo.



to, quàm anteà merum, vel e ſubmerum, quod pro f ſummo bibere ſolebat. Suaviùs, & majore cum appetentia veſcitur Agricola ſuis g fabulis, quàm ego perdicibus. Mallem inhibere h imperium in *Libero* & in fontinali, quàm populis imperare. Suaviùs vivit i ſtrategus convivii, quàm dux & caput imperii: Ille nihil metuit dum propinat ſociis k decumo fonte,

e Aquâ dilutum.
f Largiter.
g Parvis fabis.
h Adhibere, præeſſe vino & aquæ. Fontinale eſt fontium ſacrum.
i Imperator, dux.
k Vino miſto cum decima parte aquæ.

— *neq; enim aconita bibuntur*
*Fictilibus*; ———
ſed hic venenum timet, cum pocula ſumit gemmata. Neſcis quibus curis & ærumnis panniculus regii diadematis refertus ſit: licèt innumeros habeat ſatellites, qui eunt ſecundùm l ſeipſum, licèt plurimos qui quotidiè m occupant ferre oſcula adversùm genua, quíque n alludiant; quamvis o Sambucinas audiat, qui aures demulceant, non tamen à pectore *Mordaces — diffugiunt ſollicitudines.* An fœlicior eſt regis Turcarum conditio, qui numeroſum concubinarum gregem alit, quarum oſculis, quando libet, amplexibúſque fruitur, quarum ſuaviis animæ ſuæ p ſalſura evenit, quàm vir privatus, qui unicâ uxore contentus eſt? Servire facilius eſt quàm imperare, & ars artium

l Poſt ſe.
m Qui præveniant illi occurrere & oſculari.
n Alludunt, adblandiuntur.
o Anglicè, Players on the Dulcimer.
p Halitus inſulſus ſalſus redditur & ſuavis.

artium regere homines; quòd non ignorârunt illi, qui vitam privatam, imò ſervitutem prætulerunt imperio, ut *Diocleſianus*, & *Carolus* Quintus. Præterea, memineris quòd qui in obſcuro vitam agunt, ſi quid deliquêre, pauci ſciunt: contrà, in excelſo degentium facta cuncti mortales novêre; ita in maxima fortuna minima licentia eſt. Sæpe privati homines interſunt q ſtaticulis, & cantionibus r cinœdicis, quibus intereſſe magiſtratibus non licet ſine offendiculo. SE. At nihilominùs dura eſt ſervitus, durum eſt fame & ſiti premi, labore fatigari, verberibus cædi, in aſſiduo metu verſari. HE. Hæc quidem dura ſunt, ſed omnes non adeò diſcoli domini, nec omnes ſervi merentur tam duriter tractari: laborate obſequio & fide dominos mollire; date operam nè ſ vapulet eorum peculium; nè t releritis horum cados & diotas, (ut facere ſoletis) illis abſentibus, vos inebriantes, & permittentes integros dies ſensìm u extabeſcere ſine fructu aut labore. An putas te his moribus x obtenturum amorem *Heri*? Quid ſtas mihi jam y ut fungus imbri? An z uno eſt patre minus quàm fuit, quòd ſubitò ſic triſtis appareas? Utinam verè ex animo do-

q Saltatiönibus laſcivis.
r Laſcivis.
ſ Diminuatur res.
t Releveritis, aperiveritis.
u Minui, conſumi.
x Conciliaturum.
y Dimiſſo capite.
z An mortuus eſt pater? Eſtne minus in natura uno quàm fuit?



doleres, & in ſervo corpore liberum animum gereres; ſed certè omninò ſervus es, imò mancipium, ídque tot dominorum, quot vitiorum quæ in te perpruriſcunt ex unguiculis. In te ſitum eſt ex graviſſima hac ſervitute vitiorum te in libertatem vindicare: ſed hìc cogo ſermonem abrumpere, nam me aliò avocant negotia; cura ut nè quid in ædibus præter miſſum ſit horum quæ te monui, niſi cupias ut faciam a ob cædes ut catuli ludunt. SERV. Dabo equidem operam ut tuis juſſis morem geram.

a Cruentum luſum, qualis eſt canum, id eſt, ut ad cruorem vapules.

## COL. XIX.

### E TRINUMMO.

*Timotheus*. *Chryſophilus*.

ET pudet & miſeret me tui, *Chryſophile*. CHRY. Quamobrem quæſo, *Timothee*? TIM. Quia turpi-lucri cupidus es, quia animam, *Chriſti* ſanguine emptam & lotam, a lutilas. CHRY. Non aſſequor quid velis. TIM. Quia flavo luto, quod Aurum vocant, te inquinas; dum non b pauſas corradere opes, quas c albitudo capitis tui admonet mox relinquendas. CHRY. Velléſne igitur me locum in d porta quærere? TIMOTH. Minimè

a Luto inficis.
b Ceſſas.
c Canities.
d Mendicare.

Minimè verò, ſed velim ut memineris modum eſſe in rebus; profuſionem æquè ac avaritiam odi: Ut nollem te decoquere, more quorundam juvenum qui hæreditatem paternam [e] ſine ſacris adepti ſunt; ſic non laudo gentem [f] hiulcam, [g] honori poſterorum vibices indelebiles, digniores ut [h] ſalillum animæ amittant, quàm ut vitali veſcantur aurâ: inutilia ſunt terræ pondera; ſemper hiant, Chamæleontis inſtar, & ſemper eſuriunt;

*Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,*
*Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi*
*Fugerit venis.* ——

Nollem ut [i] cupes ſis, ſemper inhians opibus, quas abſcondis in tenebris, nam

*Nullus argento color eſt avaris*
*Abdito terris:* ——

ſplendeſcere enim debet, ut ait ille, temperato uſu; non decet te tam opulentum eſſe [k] immuniſicum, ſed facere tibi amicos ex iniquitatis mammonâ, ut *Chriſtus* conſulit. Si vicinus tuus egeat, ſis illi amicus [l] ferentarius; ſi fuit in te munificus, par pari refer, benefacta enim beneſactis pertegenda ſunt, nè perpluant: ſi hæc non feceris, quamvis divitiis ſcateas, omnibus tamen odio eris, & [m] tute ponè te latebis, nè te inveniat honor.

CHR.

[e] Sine moleſtiâ & impenſis.
[f] Avidam, ore aperto prædam captantem.
[g] Dedecora poſteris.
[h] Ut moriantur, quibus eſt anima pro ſale
[i] Avidus.
[k] Parcum.
[l] Per auxilium. Ferentarii milites erant auxiliatores.
[m] Te obſcurabis, nè honore afficiaris.



CHRY. At mihi aurum [n] ochetæ. TIM. Hic eſt mos divitum, ſimulare inopiam quando maxima eſt copia. Quâ [o] ſponſione tu, quæſo, exactus es, qui pronuper magnam vim auri à patre relictum recuperâſti? CHRY. Eſt mihi uxor admodum profuſa, & inſignis [p] dormitatrix: præſtat habere domi [q] ſectorem zonarium, quàm uxorem tam prodigam. Cum hæc me [r] ſuaviis ſuis ſagittatis percutit, auro emungit. Quantum mihi [ſ] diſconducat, facilè conjicere poteris hinc, quòd tot alit [t] veſtiſpicos, [u] flabelliferas, [x] ſandaligerulas, [y] ciſtellatrices: Mihi ſurripuit ex [z] apotheca [a] hypothecas quaſdam vicinorum, quas apud me auro oppignorârunt; inter quas erant [b] condalia quædam gemmis ornata pretioſis. Suſpicabar fures latebricolas irrepſiſſe clam in ædes, annuente [c] ſervo meo qui gerit tutelam foribus: eram in illum verberibus animadverſurus ob tam [d] immæne facinus; &, ſine dubio, bubuli [e] cottabi in eum crebri crepuiſſent, niſi ex [f] cacula quodam militari, inter cujus herum & uxorem meam parùm decora intercedere ſolebat familiaritas, didiciſſem dominum ſuum ad egregiam meam uxorem, me rure abſente, commeare ſolitum,

[n] Periit, evanuit.
[o] Quo pacto exactæ ſunt à te pecuniæ.
[p] Fallax, quæ ſimulat ſe dormire ut fallat.
[q] Crumeniſecam.
[r] Oſculis inſtar ſagittarum.
[ſ] Incómodet.
[t] Quibus eſt cura veſtium inſpiciendarum.
[u] Quæ flabella gerunt.
[x] Quæ ſandalia gerunt.
[y] Quæ ciſtellas cuſtodiunt.
[z] Repoſitorio.
[a] *Anglicè.* A Pledge.
[b] Annuli.
[c] Janitore.
[d] Immane.
[e] *Cottabus,* The laſh, or ſound of the whip.
[f] Ex ſervo militis.

donúmque redire auro onuſtum : at ſi [g] campans ille incidiſſet in manus meas, cruricrepidam feciſſem, aut [h] ferriterum ; [i] exædificâſſem ex ædibus, ut [k] baliſta jacitur. TIM. Si hæc vera ſunt, quæ narras, non miror rem tuam [l] egiſſe animam : præſtat domi alere [m] curculionem exercitorem, quàm uxorem talem. Sed vereor nè tu ipſe, nimiâ tenacitate & moroſitate, uxorem provocaveris ad profuſionem & furtum, ut multi ſolent mariti : uxor ſocia eſt, non ſerva ; —— *animæ dimidium tuæ* ;
vel corpus, cujus tu caput es : illa vinea eſt, ſis tu quercus, aut ulmus ; non ad opprimendum, ſed ad fulciendum : debes ſubdere ſoleis [n] fulmentas, ut ſint ſolidiores ; non verò titubandi occaſionem præbere. Bonis conſiliis, ſanctis præceptis, pio exemplo formanda eſt, ſi rudis ; ſuſtentanda, ſi imbecillis, in pietatis curſu juvanda, non verò currenti ſurripiendum [o] ſolum : denique, amore tuo, tanquam aquâ calidâ [p] thermopotanda. Siqua oritur ſimultas, [q] re recenti ſopienda eſt, nè à verbis ad verbera veniatis : omnes injurias debetis [r] memoriâ obliviſci. Si amorem uxoris malis moribus perdidiſti, debes ſuavitate, & man-

[g] Libidinoſus, luxurioſus.
[h] A terendis ferreis catenis.
[i] Ejeciſſem.
[k] Telum ex baliſta.
[l] Rem familiarem periiſſe.
[m] Qui vexet & mordeat.
[n] Fulcimenta.
[o] Solea.
[p] Aqua calida ad bibendum danda.
[q] Dum res eſt recens.
[r] E memoria labantur.



manſuetudine [ſ] redipiſci. Sed puto te nuper litigâſſe cum uxore. CHR. Quì ſcis ? TIM. Res ipſa loquitur, nam [t] oculicrepida es. CHR. Rem acu tetigiſti, namque hoc ſtigma fero illius [u] datu ; aliquando enim non linguis ſolùm eminùs, ſed manibus etiam & pedibus cominùs inter nos bellum geritur. Si in ædibus meis quandoq; eſſes, putares cœlum terræ miſceri, aut mare cœlo. TIM. Ego mallem degere in locis illis ubi alternæ arbores ſunt [x] fulguritæ, quàm in ædibus illis ubi aſſiduò jurgia reſonant & rixæ. CHRY. Rectè ; procul enim à *Jove*, procul à fulmine ; propterea ſtatui uxorem repudiare : tibi autem gratias habeo pro ſalubri tuo conſilio, quamvis ſero & nihil profuturo ; uxoris enim morbus adeò invaluit, ut medicamentum reſpuat : quare Romam petere decrevi, eſt ibi conſanguinitate mihi propinquus quidam ex fungino genere, [y] capite ſe totum tegit ; ab eo nullo negotio procurabo divortium. TIM. Si ita animum induxiſti, precor tibi iter fœlix ; verùm deſperato morbo adhibes deſperatum remedium. Vale.

[ſ] Recuperare.
[t] Oculi pugnis contuſi ſunt.
[u] Ab ea datum.
[x] Fulmine tactæ.
[y] Ob latum, ſc. gallorum; hic Cardinalem intelligo.

COL. XX.

# COL. XX.

## E TRUCULENTO.

### *Philomathes. Amathes.*

SAlvus ſit *Amathes*: Quid [a] patronus parieti ſtas triſtis? Quid fles, quaſi *Thetis* lamentando [b] leſſum faceret filio, aut victitares ſinapi? AM. Hei mihi! utinam non eſſet triſtitiæ cauſa. PHIL. Dic ſodali, & olim condiſcipulo tuo, quænam hæc cauſa eſt quæ te malè habet. AM. Vis dicam tribus verbis? [c] Habentiam, animámque amiſi. PHIL. An igitur exanimis es? vel, An decidit anima in caligas? AM. Certè animam habeo pro ſale. PHIL. Non es igitur inſulſus. AM. Voluptatis *Circe* veneficiis quibuſdam animam meam in ſuillam transformavit. PHIL. Nónne præſtitiſſet ut *Photis* metamorphoſin feciſſet corporis tui, ſic ut olim *Apulai*, in aſininum? AM. Sanè; nam ille animam retinuit humanam in corpore aſelli, ego autem ſuillam mentem gero in humano corpore. PH. Sed cui tandem *Circe* tantum de te licuit? AM. [d] Cluſinum quoddam pecus, [e] ar quod incantamentis pellectus ſum, nitidis veſtibus, ſuaviloquiis, pur-

[a] Adhærens, incumbens.

[b] Ploraret.

[c] Opes cum vita.

[d] Meretrix urbana, quaſi incluſa.

[e] Ad quod: Antiquè.



purpuriſſatis buccis, pallulâ [f] inſuaſo infectâ, puto purpuram fuiſſe [g] è Sara, quali utuntur [h] Suræ; præterea, [i] reparcis ſuaviis, & dictis merè [k] næniis, multíſque aliis machinamentis *Venereis*, [l] blitea illa & lutea meretrix me peſſundidit, oſſa omnia exhauſit medullâ, & loculos pecuniâ. PHIL. Meretrices ſunt bonorum [m] hamaxagogæ, & ratio accepti ſcribitur meretrici ut [n] Acherunti; nulli [o] cleptæ adeò furcantur & harpagant ut illæ. AM. Utinam in hac urbe non eſſet muſca meretricum, ſic immuniores eſſent juvenes à ſcopulis illis in quos plurimi impingunt, & jacturam temporis, valetudinis, fortunarum, & ipſius animæ faciunt. PHIL. Fores meretricum obſorbent quicquid venit intra peſſulos. Mavelim [p] patalem bovem me hamaxari, quàm in tales incidere; novi enim plurimos qui mali examen collegerunt in [q] ſegeſtris, quibus [r] magnæ mellinæ eſt meretricio indulgere colloquio & amplexibus, cum in fine nullum alium referunt fructum, præter amariſſimum abſynthium: nemo mihi creduit poſthac [ſ] duarum rerum, quin ſi [t] publicius eſſem, lupas has & [u] tympanotribas, quibus hæc urbs abundat, educerem ſimul ad

[f] Colore ſplendido.

[g] A *Tyro*, à *Sar* piſce: Hinc oſtrum Saranum dicitur.

[h] Syræ.

[i] Non parcis.

[k] Inanibus ſermonibus.

[l] Nullius uſûs, ut herba blitus, & vilis ut cænum.

[m] Quæ bona curribus auferunt.

[n] Nunquam reſcribitur, ſeu redditur quod illis datur.

[o] Fures non adeò auferunt.

[p] Parentibus cornibus bovem trahere.

[q] In lecti ſtragulis.

[r] Voluptati.

[ſ] Id eſt, divinarum, & humanarum.

[t] Ædilis.

[u] Molles, ut Sacerdotes *Cybeles*, qui geſtabant tympana.

x viros tintinaculos, ut verberibus y concipilarent, & urbe ejicerent. AM. Certè, ſi incidam in ſcortum illud quod me perdidit, hâc machærâ offatim z offuciam in partes minutas, quæ a colubrino ſuo ingenio, & mellitis verbis, me b confeſſum buſteum reddidit. PHIL. c Emtu es exungula. AM. Imò coactus paupertate, d parcipromus factus ſum, & e genio belligerare diſco. Nullæ mihi jam cœnatæ noctes *Veneri* aptæ, ut olim; cogor cum reti, quando * peſſum abiit, abducere ſinum, & vela contrahere,

*—— quondam nimiùm ſecundo*
*Turgida vento.*

Non eſt jam opus f manſtutore, bonis meis dilapidatis; nec eſt mihi amicus ullus, ſaltem g manubiarius. Qui eductus e furam h ſetanio olim, jam contentus ſum furaceo & atro pane: omnes meæ deliciæ i compaſticæ in fumum abierunt. Domi habeo uxorem valetudinariam & egeſtate oppreſſam, cui k partionis tempus inſtat, quæ ſolita erat geſtare annulos aureos, jam l henis gaudet, à qua famelici liberi m increbrant panem, cum nè vel turundum, aut micam habeat quam dance.

x Ad carnifices, ſeu lorarios, qui inter verberandum edunt tinnilum.
y Corriperent, involarent.
z Comminuam.
a Vafro.
b Buſto, ſeu ſepulchro dãnandum, omnium teſtimonio.
c Id eſt emptu, nexu, gulâ, ſeu emptionibus, obligationibus, epulis perditus es.
d Parcus.
e Defraudare genium.
* Cum in fundum mittitur, contrahit ſinum ſeu laxitatem.
f Qui bona tuetur. Manſtutor dictus, quaſi manu tutor.
g Fructuoſus, & manubiarum dator, non ſincerus.
h Pane puro, & cribrato.
i Jactantiæ & inanis gloriæ plenæ. Κομπάζειν, eſt nimiùm arrogare.
k Partus.
l Ahenis.
m Crebrò potunt.



net. PHIL. Miſeret me tui, non ſolùm quòd ex ſummis opibus in extremam pauperiem incidiſti, verùm præcipuè quòd *Amathes* ſis, & nullam artem calleas quâ poſsis tibi victum & amictum parare, cum quævis terra alat artem. Literarum cognitio tam neceſſaria eſt, ut ſine ea nihil poſsis n exefficere. AMAT. Miſerâ experientiâ didici quid ſit juventutem otioſè terere: cum ego ſtudiis incumbere debueram, uxorem o ambituriebam; tu interea reſtitor deſidebas inter Muſas: hinc jam divitiis affluis, ego inediâ & pauperie confectus ſum. PHIL. Memini, cum eſſemus condiſcipuli, præceptorem dicere ſolitum te

*—— ad morem diſcincti vivere Nattæ.*

AM. Haud ſanè fuit illi inexpertum

*—— curvos deprendere mores*

puerorum, quibus oſtendere ſolebat literam illam quæ ramos diducit Samios; me volebat Socratico ſuſcipere ſinu, ſed ego non curabam

*Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſiq; Solones*
*Obſtipo capite & figentes lumine terram,*
*Murmura cum ſecum, & rabioſa*
*ſilentia rodunt.*

PHIL. Quia tu ſpreviſti ſapientes illos, propterea honores & opes te ſpernunt; hinc

n Exactè facere.
o Ambire volebam.

x viros tintinaculos, ut verberibus y concipilarent, & urbe ejicerent. AM. Certè, ſi incidam in ſcortum illud quod me perdidit, hâc machærâ oſſatim z offuciam in partes minutas, quæ a colubrino ſuo ingenio, & mellitis verbis, me b confeſſum buſteum reddidit. PHIL. c Emtu es exungula. AM. Imò coactus paupertate, d parcipromus factus ſum, & e genio belligerare diſco. Nullæ mihi jam cœnatæ noctes *Veneri* aptæ, ut olim; cogor cum reti, quando * peſſum abiit, abducere ſinum, & vela contrahere,

> —— *quondam nimiùm ſecundo*
> *Turgida vento.*

Non eſt jam opus f manſtutore, bonis meis dilapidatis; nec eſt mihi amicus ullus, ſaltem g manubiarius. Qui eductus eram h ſetanio olim, jam contentus ſum furfuraceo & atro pane: omnes meæ deliciæ i compaſticæ in fumum abierunt. Domi habeo uxorem valetudinariam & egeſtate oppreſſam, cui k partionis tempus inſtat, quæ ſolita erat geſtare annulos aureos, jam l henis gaudet, à qua famelici liberi m increbrant panem, cum nè vel turundum, aut micam habeat quam da-

x Ad carnifices, ſeu lorarios, qui inter verberandum edunt tinnilum.
y Corriperent, involarent.
z Comminuam.
a Vafro.
b Buſto, ſeu ſepulchro dãnandum, omnium teſtimonio.
c Id eſt emptu, nexu, gulâ, ſeu emptionibus, obligationibus, epulis perditus es.
d Parcus.
e Defraudare genium.
* Cum in fundum mittitur, contrahit ſinum ſeu laxitatem.
f Qui bona tuetur. Manſtutor dictus, quaſi manu tutor.
g Fructuoſus, & manubiarum dator, non ſincerus.
h Pane puro, & cribrato.
i Jactantiæ & inanis gloriæ plenæ. Κομπάζειν, eſt nimiùm arrogare.
k Partus. l Ahenis. m Crebrò petunt.





net. PHIL. Miſeret me tui, non ſolùm quòd ex ſummis opibus in extremam pauperiem incidiſti, verùm præcipuè quòd *Amathes* ſis, & nullam artem calleas quâ poſſis tibi victum & amictum parare, cum quævis terra alat artem. Literarum cognitio tam neceſſaria eſt, ut ſine ea nihil poſſis n exefficere. AMAT. Miſerâ experientiâ didici quid ſit juventutem otioſè terere: cum ego ſtudiis incumbere debueram, uxorem o ambituriebam; tu interea reſtitor deſidebas inter Muſas: hinc jam divitiis affluis, ego inediâ & pauperie confectus ſum. PHIL. Memini, cum eſſemus condiſcipuli, præceptorem dicere ſolitum te

> —— *ad morem diſcincti vivere Natta.*

AM. Haud ſanè fuit illi inexpertum

> —— *curvos deprendere mores*

puerorum, quibus oſtendere ſolebat literam illam quæ ramos diducit Samios; me volebat Socratico ſuſcipere ſinu, ſed ego non curabam

> *Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſiq; Solones*
> *Obſtipo capite & figentes lumine terram,*
> *Murmura cum ſecum, & rabioſa*
> *ſilentia rodunt.*

PHIL. Quia tu ſpreviſti ſapientes illos, propterea honores & opes te ſpernunt; hinc

n Exactè facere.
o Ambire volebam.

hinc eſt quòd jam cogaris mordere tunicatum cum ſale cæpe, & ſorbere pannoſam fæcem morientis aceti. AM. Certè tu mordaci vero mihi auriculas radis; Argutim. p furtatim diſſeruiſti de meo infortunio, déque literarum inſcitiâ, quæ omnis meæ miſeriæ cauſa eſt: utinam obtemperâſſem præceptoris & parentum monitis, quæ in me, tanquam in vas pertuſum infuderunt. Sed quid dicam? Si fuiſſent in me aliquæ bonæ indolis aut virtutis ſcintillæ, ſine dubio tot ſanis conſiliis & monitis, tanquam flabellis aut follibus, excitatæ eſſent, & diſciplinæ fomitem arripuiſſent: ſed ego omnia ſapientum ſeria meo ludo poſthabui; mihi magis erat in voto ſcire

*Quid dexter ſenio ferret; ——*

vel, *—— damnoſa canicula, quantum*

*Raderet anguſtæ collo non fallier orcæ,*

quàm ſtudiis incumbere, aut magiſtri ſermonibus aures bibulas præbere: quare, meo exemplo, diſcant ſtudioſi,

*Dum vires anniq́ ſinunt, tolerare laborem,*

& in juventute bonas literas, tanquam ſenectutis viaticum ſibi comparare;

*Dumq́, iter ambiguum eſt, & vita neſcitur error,*

*Deducit*



*Deducit trepidas ramoſa in compita mentes:*

ſupponant ſe piis & doctis præceptoribus, ut, horum operâ, tanquam agricolarum, ſolum animorum ſubactum, diſciplinæ & ſcientiæ ſemina recipiat, quæ in florem & fructum Reip. & Eccleſiæ utilem tandem erumpant. PHIL. Gaudeo te vitæ ante-actæ tam ſeriò, licèt ſerò, pœnitere: agè, quia adveſperaſcit, eamus ad me; pernoctabis, ſi placet, cum meis laribus, eſt enim, Deo gratia,

*—— mihi rure paterno*

*Far modicum, ——*

*———— purum & ſine labe ſalinum;*

è dapibus inemptis tibi parabitur convivium: ſed Atrienſem meum huc advenientem video. Quid q illi exitio eſt? q Quid exit. Præcedam, tu me lento gradu ſequere. AMAT. Imò, te ſequar paſſibus æquis, nam fames non patitur lentas moras; mihi jam panis r autopyri fruſtulum r Cibarii, ſeu ſecundarii. gratiſſimum eſſet, cui olim Lucrina conchylia, rhombi, & ſcari, imò atra avis, & Attagen Ionicus erant faſtidio; qui tot comeſſationes, &, ut ille ait, ſeras ſ epidipnidas paravi, ſ Poſtcœnia. cui muſtaceus & latente palmâ prægrandes t caryobides cadebant; t Palmarum fructus.

*Cui*

*Cui venit* [u] *botulus medio vel tempore brumæ,*
*Exta, & candiduli divina* [x] *tomacula porci,*
*Atq; illata meis menſis ſcriblita ſecundis:*
*Jam liceat paſci ſiliquis & pane ſecundo.*

Valeant ſcarorum jecinora, pavonum cerebella, linguæ [y] phœnicopterum, & murenarum lactes; jam beneficio famis, optimi condimenti, ſapidior palato meo [z] ſyncomiſtos erit his omnibus deliciis, tragematis, aut bellariis. PHIL. Sanè præſtiterit cum Arcadibus veſci glandibus, aut cum ophthiophagis, ſerpentibus, aut cum agriophagis, pantheris, & leonibus, quàm cum hujus ſæculi lurconibus, ingurgitari ſuaviſsimis eduliis, quibus adverſa corporis valetudo procuratur, & divina ira in univerſam patriam accenditur: hinc meritò juſtiſsimus Deus pontificales noſtras dapes, adjiciales & dubias cœnas, epuláſque ſaliares in [a] bucellatum convertit: nè ergo mireris ſi milites

*Jam panaria, candidaſq; mappas*
*Subvectant, epulaſq; lautiores.*

[u] Farcimen ex ſuilla carne.

[x] Ex jecore porcino.

[y] Aves rubras habentes alas.

[z] Furfuraceus panis, ſeu confuſaneus.

[a] In cibum militarem.

**FINIS.**

# OBSCURIORUM VOCABULORUM, ET PHRASIUM EXPOSITIO.

*Ex Amphitryone.*

Lumbifragium, *i. e.* lumborum fractura.
Exoſſatus, *i.e.* oſſibus privatus.
Primo cœtu, *i. e.* coïtu.
Occillo, *i.e.* frango.
Ire ſecundùm, *i.e.* ponè ſequi.
Numerò, *i.e.* citò.
Impliciſcier, *i.e.* implicari.
Mortui boves, *i.e.* verbera coreacea.
Doli conſuti, *i.e.* ficti.
Cerrati, *i.e.* lymphatici.
Illâc noctu, *i.e.* illâ nocte.
Diverbium, *i.e.* proverbium.
Nocturnus, *i.e.* noctis deus.
Præ quam, *i.e.* præ eo.
Uxor uſuraria, *i.e.* concubina.
Delinire, *i.e.* decipere.
Locus lectus, *i. e.* lecti.
Nè creduis, *i.e.* nè credas.
Auctare, *i.e.* augere.
Ad mortem datus, *i.e.* occiſus.
Ingratiis, *i.e.* ingratìs.
Invitè fruſtrari, *id eſt*, faſcinare.
Ætatem priùs, *i.e.* diu antè.
Blatire, *i. e.* balbutire.
Impercere, *i.e.* parcere.
Teſticulari, *i.e.* teſtes inducere.
Jugulæ, *i. e.* Orion.
Ex amuſſim optimus, *i.e.* omninò bonus.
Veſperugo, *i.e.* heſperus.
Nè perduis, *i.e.* nè perdas.
Vergiliæ, *i.* Pleïades.

Superius cœnaculum, *i.* Cœlum.

Afflictim amare, *i. e.* vehementer.

Quis fuat, *i.e.* fiet.

Seminare filium, *id eſt*, gravidam reddere.

In tranquillum conferre, *i.e.* tranquillare.

Quid curatio eſt, *id eſt*, quid curas.

Socienus, *i.*ſocius belli.

Clueo, *i.*clareſco bello.

Expugnaſſere, *i.e.* expugnare.

Cirnea, *i. e.* vas vinarium.

Prævortier, *i. e.* præverti.

Vinum è matre natum, *i. e.* è vite expreſſum.

Mavelim, *i.e.* mallem.

Diſpellere, *i. e.* ultrà pellere.

Favitor, *i.e.* fautor.

Exjurare, *i.e.* pejerare.

Expetere, *i. e.* punire.

*Saturni* hoſtia factus, *i.e.* occiſus.

Sumitù, *i.e.* ſimul.

Cum prohibeſſit, *i. e.* prohibuerit.

Prævortere, *i.* præferre.

Manſitavit, *i.* comedit.

Nequiter expetivit, *i.e.* infœliciter ceſſit.

Luciſcat hoc, *i.e.* accendatur lumen.

Tuatim, *i.e.* tuo more.

Litigium, *i.e.* lites.

Si occepſo, *i.e.* ſi incœpero.

Conſtat, *i.e.* conflatur.

Animam puteo intertraho, *i.e.* aquam haurio totam.

Androphonus, *i.e.* virorum occiſor.

Arguropeza, *i.e.* argentipes.

Exantlare, *i.* exhaurire.

Rumificare, *i. e.* rumorem ſpargere.

Eccere, *i.e.* ecce.

Conquiſitores, *i.e.* ſpeculatores.

Quæſtor, *i.e.* quæſitor.

Foruli, *i.e.* torques.

Condonare, *i.e.* donare.

Delirantes concinnare, *i.e.* deliros facere.

Lycanthropi, *i.e.* luphomines.

Satis parva res eſt voluptatum, *i.e.* paucæ voluptates.

Ulmorum Acheruns, *i.e.* cujus terga ulmos vorant.

Grandire gradus, *id eſt*, celeriter ambulare.

*Vulcanus* cornu incluſus, *id eſt*, lumen in laterna.



Gralatorius, *i.e.* celeri gradu incedens.

Salutare *Cererem* & *Liberum*, *i.e.* edere & bibere.

### *Ex Aſinaria.*

Catenarum colonus, *i.* qui catenatus eſt.

Flagrorum gymnaſium, *i.e.* flagris exercitus.

Incloctores, *i.e.* qui ſtrepitum virgis edunt.

Dare ad languorem, *i.e.* defeſſum reddere.

Fuſtiduni, *i.e.* qui fuſtibus tunduntur.

Ferricrepini, *i.e.* cujus vincula ferrea crepunt.

Portiſculus, *i.e.* parvus portus, vel pergula navis.

Caſteria, *i.e.* loca navis ubi reponebantur remi.

Defrudari, *i.e.* parte frugum fraudari.

Moriri, *i.e.* mori.

Diem lacerare, *i.e.* inſumere.

Rete jaculum, *i.e.* quod jacitur.

Oppetere peſtem ſervitutis, *id eſt*, in ſervitute mori.

Interdius, *i.e.* interdiu.

Habere optiones, *i.e.* adjutores.

Hoſtimentum, *i. e.* compenſatio.

Plagæ prægnantes, *id eſt*, multæ.

Oratio vinula, *i.* dulcis.

Caput caſare, *i.* quatere.

Præfiſcine, *i.e.* contra faſcinum.

Si liceſſit, *i.e.* liceret.

Fraudem frauſus eſt, *i.e.* commiſit.

Centupodium, *i. e.* centum pondo pendens.

Electare, *i.e.* elicere.

Perciere, *i.e.* excitare.

Verbis velitatio compendi, *i.e.* verborum compendioſa velitatio.

Nox, *i.e* noctu.

Occeſſerint, *i.e.* occurrerint.

Hoſtia ſuccidanea, *id eſt*, ſecunda.

Cocio, *i.e.* propola.

Vitâ abjudicare, *i.e.* occidere.

Hoſtire, *i.e.* remunerari.

Interibi, *i.e.* interea.

Capuli decus, *i.e.* decrepitus.

Tolutim badiſſat, *i.* gradatim incedit.

Nautea, *i.* ſentina navis.

Minæ

Minæ commodæ, *i.e.* juſta ſumma.
Pollucibiliter, *i.e.* opiparè.
Quid toties receptio eſt, *i.e.* cur recipit.
Corpus interius, *i.e.* anima.
Pollucere, *i.e.* ſacra facere.
Veſtes interpolare, *i.e.* in novam formam poliendo mutare.
Opus exaſciatum, *i.e.* incœptum.
Verba fœnerato ſunditare, *id eſt*, cum fœnore.

*Ex Aulularia.*

NUgigerulus, *i.e.* qui res vendit muliebres.
Catapirates, *i. e.* linea cum maſſa plumbea.
Subire cenſionem bubulam, *i.e.* loris cædi.
Cauſificari, *i.e.* queri.
Enecare in nervo, *i.e.* ſtrangulare.
Facere artem ludicram, *i.e.* ſaltare.
Facere literam longam, *i.e.* ſuſpendere.
Obſtinare, *i.e.* obſtinatè petere.
Verberaliſſima, *i.e.* digna verberari.
Reſecare, *i.e.* voto liberare.
Inſatietas, *i.e.* inexplebilis cupiditas.
Oculi emiſſitii, *i.e.* faſcinantes.
Dicam ſcribere, *i.e.* in jus vocare.
Stimulorum ſeges, *i. e.* dignus multis ſtimulis.
Dare diſcipulum cruci, *i. e.* ſuſpendere.
Onerare zamiam, *i.e.* zamiâ, *i.e.* damno.
Aula quadrilibris, *i.e.* olla quatuor librarum.
Dii adaxint, *i.e.* adegerint.
Concreduit, *i.e.* credit.
Ligillum, *id eſt*, lignum parvum.
Multos annos, *i.e.* anni.
Vadari, *i.e.* acceptis vadibus in judicium vocare.
Inania, *i.e.* inanitates.
Peniſſimè, *i.* penitiſſimè.
Indipiſciet, *i.e.* capiet.
Quique eſt, *i. e.* quiſquis eſt.
Quod duit, *i.e.* quod det.
Harpagatum, *i.* ablatum.

Arto-



Artopta, *i.e.* vas in quo panis coquitur.
Volſus ludius, *i.e.* puer depilatus.
Poſtideà, *i.e.* poſtea.
Hoc temperi, *id eſt*, hoc tempore.
Perviàm: *Adverbium.*
Phylaciſtæ, *i.e.* carcerum cuſtodes.
Donicum, *i.e.* donec.
Vino repletus deponi, *i. e.* inebriari.
Potem, *i.e.* poſſum.
Adire manum lautè, *i.e.* tractare lautè.
Niſi ſcatat, *i.e.* ſcateat.
Quis ea, *i. e.* quæ ea.
Pipulo differre, *i.e.* convitio diffamare.
Propalæ, *i.e.* qui vendunt merces palàm.
Phrygiones, *i.* qui veſtes phrygias vendunt.
Lanarii, *i.e.* qui lanam faciunt aut vendunt.
Patagiarii, *i.* qui patagiam, *i.e.* chlamidem clavatam vendunt.
Sic Induſiarii, Flammarii, Manubiarii, Myrobathrarii, Linteones, Solearii, Strophiarii, &c.
Mei faſtidit, *i.e.* me.
Aliovorsùm, *i.e.* aliorsùm.
Si mutâſſis, *i. e.* mutares.
Aliqui, *i.e.* in re aliqua.
Contolle gradum, *id eſt*, feſtina.

*E Captivis.*

MOloſſus, *i.e.* pinguis.
Venaticus, *i.e.* macer.
Ruri rurare, *i.e.* degere ruri.
Odioſtici, *i.e.* odioſi.
Polypluſius, *i.e.* ditiſſimus.
Saturnitas, *i.e.* ſaturitas.
Philodeipnus, *i.e.* amator cœnarum.
Remittitur edendi exercitus, *i.e.* deficit cibus.
Piſtorienſes, *i.e.* piſtores.
Panicei, *i.e.* placentini.
Turditani, qui turdos } vendunt.
Ficedulenſes, ficedulas }
Maritimi milites, *id eſt*, piſcatores.
Colli, *i. e.* colla.
Concinnant oves orbas liberis, *i.e.* reddunt orbas ſuis agnis.
Cœna terreſtris, *id eſt*, herbacea.
Victus commeans ſcrupoſam viam, *i. e.* ſumptuoſus, & difficilis paratu.
Glandia, *i.e.* glandes.
Ophthalmiæ, ſcombri, trigomi, ſunt piſces.
Subbaſilicani, *i.e.* qui ſedent ſub baſilicis otioſi.
Porta tergemina, *i.e.* oſtienſis.

Dentes

Dentes calcati, *i.e.* muniti, accincti ad eſum.
Calices modiales, *i. e.* modii capaces.
Opes deartuare, *i.e.* diminuere.
Agoronomus, *i.e.* qui rei cibariæ leges dat.
Ærumnas exigere, *i.* ſufferre.
Venter reſidet eſuriales ferias, *i.e.* feriatur cum eſurie.
Cœna aſpera, *i.e.* ex oleribus.
Mavelim me fuiſſe quàm eſſe, *i.e.* malim mori.
Deruncinari, *i.e.* runcinâ lacerari.
Lacones plagipatidæ, *i.e.* plagarum patientes ſunt Laconici.
Aperto capite, *i e.* ſine pudore.
Lamentariæ, *i.e.* lamentabiles.
Dentes reſtringere, *i.e.* nudare.
Confidentia in ventrem, *i.e.* ad explendum ventrem.
Velabrum olearii, *i.e.* locus juxta Aventinum.
Apti, *i.e.* adepti.
Sine ſacris, *i.e.* ſine ſumptu.
Scirpiculi piſcarii, ſunt ex quibus naſſæ fiunt vimineæ.
Pugillatum incipio, *i. e.* pugnos paro.
Sutelæ, *i.e.* doli.
Offuciis ſublinire, *i.e.* fallaciis decipere.
Potiti hoſtium, *i.e.* capti ab hoſtibus.
Inter ſacrum ſaxúmque ſtare, *i.e.* in periculo mortis verſari.
Danant agninam duplam pro ſimpla, *i.e.* dant ovillam pro agnina.
Petro, *i.e.* aries.
Cibum dapinare, *i.e.* præbere.
Incipiſſis, *i.e.* incipis.
Gutturem, *pro* guttur.
Sibi eſt deliquio parentis, *i. e.* defectus, *i.e.* pater mortuus eſt.
Armarium, *i. e.* ubi pecunia aſſervatur.
Lævem fecit compedibus, *i.e.* lævavit.
Pignori, *pro* pignore.
Acheronti cluit gloria, *i.e.* in morte clareſcit.
Denaſare os mordicus, *i.e.* naſum morſu abripere.
Nominis veriverbium, *id eſt,* etymologia.
Caput oblatum vilitati, *i. e.* vile mancipium.
Redauſpicandum, *i.e.* redeundum.
Propiùs adbites, *i.e.* accedas.
Vaſa ſamia, *i.e.* fictilia.
Scrophipaſtæ, *i.e.* ſubulci.
Spes me decollavit, *i.* decepit, de collo decidit.
Beneficium beneſit, *i.e.* datur.





Imitari canem irritatum, *i.e.* ridere.
Si rebitas, *i.e.* ſi redeas.
Collus, *pro* collum.
